Josephi Halli

EXONIENSIS EPISCOPI

Αυτοχεδιασματα.

VEL,

MEDITATIVNCVLÆ SVBITANEÆ,

eq̃; re natâ ſubortæ.

LONDINI,
Impenſis Nath: Butter.
M. DC. XXXV.

INCLYTO HEROI,

D. Iacobo Hayo,

BARONI SALEENSI,

Vicecomiti Doncastrio, Comiti Carleolensi, Regiæ Ma^ti. ab intimiore & Consilio, & Cubiculo; Insigniſſimi Ordinis, honoratiſſimæ Periſcelidis Equiti auratо:

Fauſta quaque.

QVæ Anglicè pridem edita; ſub auſpiciis nobiliſſimi Doncaſtrii tui lucem ſalutarunt

runt, quin modò Latina tuũ (Illustris Heros) ambire ament patrocinium? Furis illa publici fecerat (me parùm refragante) filius; ista non erubesco me patrem vocent. Nimirùm, hôc ætatis, ubi plærique senum non immeritò, veterum studiorum, desuetæque diu linguæ, oblivionem causari solemus; nemo mihi vitio verterit rejuvenescere quodammodò jam serò animum, Romæq;, ac Athenarum, etiamnùm velle

velle recèns meminiſſe.

Illud vero cumprimis mihi cordi eſt, linguas exteras, mea qualiacunque in ſuos traduxiſſe idiotiſmos; nempe quò meis fruuntur plures, eò me ditiorem, fœlicioremq; ſentio; ſiquid mihi exciderit boni, omnium eſto; gratulor idcirco mihi, D. Facomoti, aliorumque fidorum interpretum calamos benevolos; Fas tamen ſit dicere, & Latinè, & Gallicè, ab aliis aliquibus verſa quædam mea,

non nimiùm mihi placuisse; qui nativo quidem villo mea prodire mavelim incuriosiùs quàm serico alterius, haud benè interim concinnato, malè induta: Ne forte queri possit hoc idem ista Senii mei propages, eo magis chara, quo sera magis, ipse Latio donare volui familiares hasce non inutiliũ cogitationum minutias; jussique tuo nomine (exteris quibusque jam diu celeberrimo) superbire. Tu, pro ea, quâ om-

nes

nes exuperare soles, mirâ comitate suavitateque morum, serenus excipies hanc officii mei, observantiæq; strenam qualemcunque.

Quidni vero hoc mihi ausim fidenter polliceri? Diu est, ex quo novit orbis hic noster, quàm ego me totum, splendidissimæ familiæ vestræ inprimis verò socero tuo præclarissimo, Herôum corculo, Comiti Norvicensi, ab ineunte juventute, debuerim, voverimque.

Idem utrique vestrum, quantumvis loco dissitissimus, & affectu intimus, & officiis quibusq; divinctissimus usque permansero

JOS: EXON:

E Palatio nostro
Exoniensi,
Novemb. 29.
1634.

Occurrerũt mihi ultrò meditatiũculæ iſtæ, ego illas non ſolicitavi importuniùs; imo ne accerſivi quidem; ſponte oblatas admiſi non illibenter, nec moroſiùs repuli: admiſſas excepi familiariter; exceptas denique permiſi prodire in vulgus, non curâ, & ſtudio

dio comptas, non ornatas elegantiùs, ſed nativâ ſimplicitate indutas, procul & ſordibus, & faſtu. Mille mihi, fateor hujuſmodi cogitationes (quæ mea fuit incuria) neglectæ exciderunt, evanueruntque, iſtas ego chartulæ meæ ſervandas dedi, ne itidem perirent. Meo priùs idiomate editas donavi Latinitate, ut pluribus prodeſſe poſsint, quæ meis placuiſſent. Quarum fortè

ex-

exemplum, re fuerit ipsâ utilius.

Agilis quippe est hæc anima humana; neque minus possibile est ut non cogitet, quàm ut nihil quicquam videat oculus apertus; Si curæ nobis foret notiones quasq; salutares adservare studiosiùs, nimis profecto diteſceret genus humanum. Nobis certè si probè consultum voluerimus, nullũ quamlibet exile, subitumve objectum

jectum prætervolaverit, abſque ſuo & uſu, & beneficio : Quicquid uſpiam videmus prælegit nobis nova & prudentiæ documenta, & pietatis; Turpe eſt homini ut ſub tot præceptoribus parùm ſapiat; Quod ad me; nollem equidem ſupereſſe diutiùs, quàm me oculi mei aliquid doceant. Iam vero curæ preciuni duxi exemplo præire aliis, ut infirmiores, ſi qui ſint, animi,

mi, inde discant cogitationibus quibusque obviis melioreſcere. Lectorẽ igitur meum, quiſquis fuerit, exoratũ volo, ut, hâc ratione, & me, & ſeipſum beare velit; perdiſcatque ex hoc meo libellulo, magnum Dei volumen (mundum intelligo) utiliter perlegere.

TABULA.

MED.		PAG.
1	Conſpecto cæli motu.	1
2	Ad conſpectum horarii.	2
3	Viſa eclipſi Solis.	3
4	Conſpecta ſtella cadente.	4
5	Viſo proſpectu luculento.	5
6	De Globi fabrica caſu confracta.	7
7	Ad conſpectum nubis.	8
8	Ad conſpectum ſepulchri effoſſi.	9
9	Ad conſpectum auri liquati.	10
10	Ad conſpectum amphoræ circumgeſtatæ.	11
11	Ad conſpectum arboris nimium efflorescentis.	ibid.
12	De quodam ſubita morte abrepto.	12
13	Ad conſpectum cæli & terræ.	13
14	Ad conſpectum Erythaci.	14
15	Ad conſpectum aranеæ in feneſtra latitantis.	15

16 Ad

MED.		PAG.
16	*Ad conſpectum pluviæ, ſole interim ſplendente.*	16
17	*De viæ longitudine.*	17
18	*Ad conſpectum pluviæ & aquarum.*	18
19	*Ad eundem, rurſus.*	19
20	*Lucerna introducta.*	20
21	*De eadem.*	22
22	*Accenſo igne.*	23
23	*Ad canis latratum.*	24
24	*Viſa gallorum pugna.*	25
25	*Ad decubitum ſuum.*	27
26	*Viſis carbonibus ignitis.*	28
27	*Conſpecto mendico humili ac manſueto.*	29
28	*Conſpecta cornice velleris ovini lanam vellicante.*	30
29	*Viſis duobus limacibus.*	31
30	*Auditis vendacium quorundam clamoribus.*	32
31	*De muſcis ad equini dorſi recrudeſcentis ſcabiem collectis.*	33
32	*Ad conſpectum laternæ ſecretioris, ob-*	

MED. PAG.

obſcuratæque. 34
33 *Audito hirundinis cantu in camino ſuo.* 35
34 *Conſpecta muſca quadam ſe lucernæ flamma comburente.* 36
35 *Conſpecta alauda ſursũ volitãte.* 37
36 *Auditis aviculis verno quodam mane cantillantibus.* 38
37 *Ad conſpectum prunæ cineribus coopertæ.* 39
38 *Conſpecto Æthiope.* 40
39 *Viſa Galaxia.* 41
40 *Viſo puerorum ludo.* 42
41 *Ad conſpectum araneæ telam exordientis.* 44
42 *Conſpecto morione quodam.* 45
43 *Viſo magnete & gagate.* 46
44 *Ad concentum muſicum nocturnum.* 48
45 *Ad conſpectum tritici ventilati. ib.*
46 *De herbis exiccatis.* 49
47 *Audito ferri extincti ſtridore.* 50
48 *Viſis muſcis, quas Cantharidas appellant.*

MED. PAG.

pellant. 50
49 Conſpecta noctiluca. 51
50 Conſpecto quodam oculum unum claudente. 52
51. Conſpecto fonte. 53
52. Viſis culicibus in radiis ſolaribus ludentibus 54
53 Conſpectis uvarum racemis. 55
54 Viſo agro herbis noxiis malè infeſtato. ibid.
55 Conſpecta in horto ſuo Tulipa, Calendula, &c. 56
56 Audito campanæ fractæ ſono. 57
57. Viſo cæco quodam. 58
58 Ad conſpectum fagi feraciſſima. 59
59 Ad conſpectum nummi in aquâ injecti. 60
60 Accepto rumore terræmotus cujuſdam. 61
61 Ad conſpectum gliris. 62
62 Viſis apibus ſecum pugnantibus. 63
63 Conſpectis veſpis in vitrum melle illitum incidentibus. 64

MED. PAG.

64 *Viso fonticulo e loco quodam deserto ebulliente.* 66
65 *Conspecto bubone.* 67
66 *De brachio obstupescente.* 68
67 *Visa scintilla sursum volante.* 69
68 *Cervo conspecto.* 70
69 *Viso verme.* 71
70 *Se induendo.* 73
71 *Conspecta Bibliotheca instructissima.* 74
72 *Visa cruce rubea foribus appicta.* 75
73 *Ad cæli mutationem vicissitudinemque.* 76
74 *Conspecto conjugii ritu publico.* 77
75 *Conspecto angue.* 79
76 *Visis monasterii cujusdam ruinis.* 80
77 *Ad dissplosionem bombardæ.* 81
78 *Audito campanæ sono moribundi obitum præmonentis.* 83
79 *Defamatione quadam divulgata.* 84
80 *Audito quodam cāpanarū cōcētu.* 85
81 *Conspecto benè instructo cōvivio.* 86
82 *Audita lyrâ bene pulsata.* 88

83 *Viso*

MED.		PAG.
83	*Viſo & audito pavone.*	89
84	*De ſcelerato quodam ſerio pœnitente.*	90
85	*Ad conſpectum Lilii.*	91
86	*Visâ ſandapila floribus ornata.*	92
87	*Conſpecta mundi fabrica.*	93
88	*De veſpæ aculeo.*	94
89	*Viſo reo pro Tribunali cõſiſtente.*	96
90	*Audito galli cantu.*	97
91	*De cogitationum varietate.*	98
92	*Ad conſpectum meretricis publicis contumeliis expoſitæ.*	99
93	*Ad Roſæ odorem.*	101
94	*Ad conſpectum ſyngraphæ laceratæ & irritæ.*	102
95	*Audito naufragio quodam.*	103
96	*Viſo ſereno cœlo ſtellis referto.*	104
97	*Audito rumore belli.*	105
98	*Puero ejulante.*	107
99	*Ineunte morbo.*	108
100	*Promiſſo quodam vehementius poſtulato.*	110
101	*Muſcis quibuſdam conſpectis.*	112

MED.		PAG.
102	*Viſo zelote quodam fanatico.*	113
103	*Conſpecto ſordido quodam canalium expurgatore.*	114
104	*De perſpecillis ſuis.*	115
105	*Viſis atomis in ſolis radiis.*	116
106	*Conſpecta veſica recente.*	*ib.*
107	*Viſo quodam dormiente.*	117
108	*Viſo cranio humano.*	118
109	*Ad conſpectum ſcævæ cujuſdam.*	120
110	*Conſpecto tuguriolo.*	121
111	*Conſpecta quadam gemma luculenta.*	122
112	*Viſa quadam antepyra.*	123
113	*Viſo Petaſite, vel, Bardana quam vocant, folio largiore.*	124
114	*Audito aviculæ cantu.*	125
115	*Conſpecto quodam oſcitante.*	126
116	*Viſa arbore quadam reſecta.*	127
117	*De ſtudioſo quodam qui vim ſibi intulerat.*	128
118	*De Iudicis adventu.*	130
119	*Conſpecto lapidum acervo.*	131

MED.		PAG.
120	*De bubone, & Vespertilione.*	132
121	*Viso vellere ovino.*	133
122	*Audito tonitru.*	135
123	*Conspecto erinaceo vel echino.*	136
124	*Viso capro.*	138
125	*Caco & claudo una cõspectis.*	139
126	*Visa tabula orbis Geographica.*	140
127	*Ad conspectum cicutæ.*	141
128	*Viso Lilio.*	142
129	*De arboribus duabus, alta una, lata altera.*	143
130	*Ad conspectum ebrii.*	144
131	*Viso messore falcem coticula exacuente.*	145
132	*Admoto speculo.*	146
133	*Viso ligni carioſi splendore.*	147
134	*Visa hedera.*	148
135	*De febre quartana.*	149
136	*Conspecto plaustro benè onusto.*	150
137	*Viso quodam nano.*	151
138	*Audito paulò importuniore mendico.*	152
139	*Viso Pharmaco quodam.*	153
140	*Ad conspectum Rotæ.*	154

MEDITATIVNCVLAE SVBITANEAE.

I.

Conſpecto cœli motu.

NIhil quicquam, præter terram, quieſcere video; cætera quæq; motu perpetuo agitantur; Etiam & aqua illa, quæ unum cum terrâ globum conſtituit, continuo fluxu, & refluxu reciprocatur: Nubes ſupra caput volitantes, ſupra nubes, cœlum ac ſydera, ſic aguntur perpetim; Hæc, uti præ cæteris eminent conſpicua, ita nobis exempla præferunt perpetuæ activitatis; Quid tandem æmulemur nos æquè, ac ſpecioſam hanc mundi machinâ? O Deus, quoties precamur ſupplices, ut fiat voluntas tua in terris, ſicut in cœlo; tametſi præcipuè intelligamus loci illius incolas beatiſſimos; non tamè excludimus locum ipſum cælitum illorũ receptaculum, quo minùs exemplo nobis ſit veræ, perfectæq; obedientiæ; Circumvolutio cœli tui perpetua eſt, & perennis; Itidem faxis, ô Deus, ut nunquam non in aliquid ferar voluntati tuæ conſentaneum; Motus cœli tui regularis eſt, nunquam à conſtitutis ſibi terminis, vel minimum divaricans; ita, faxis, in

via præceptionum tuarum absq; omni diversione, aberratione-ve a lineâ legis tuæ, constanter usq; obambulem. In hoc cœlestium motu, quamvis stellæ quædam peculiares sibi quosdam, & contrarios motus sortiantur; singulæ tamen, rapidæ circumgyrationi primi motoris se ultrò subjiciunt; Itidem & ego, tametsi voluntatem habeo propriam, liberamq; ,faxis tamen, ut in omnibus vitæ viis, me totum dedam à spiritu tuo dirigendum, gubernandumq;. Homo microcosmus est, anima cœlum, corpus terra est; si hæc terra mea, fixa maneat inersque; faxis tamen, ô Deus, ut cœlum hoc meum, sicut & tuum, jugiter atq; ordinatè moveatur, spirituique tuo velut primo motori, intelligentiæ-ve sapientissimæ, potentissimæq; perpetuò subjiciatur.

II.

Ad conspectum horarij scioterici.

SI Sol radiis suis non illustraret horarium istud, nemo illud profectò intueretur; nubilum ubi cœlum est, negligitur hoc planè, statq; velut inutilis ariduſq; truncus. Vbi vero radii illi paulò clariùs emicuerint, accurrit viator omnis, oculosq; illò conjicit intentiùs; ô Deus, quando tu vultum à me tuum absconderis, creaturæ tuæ omnes, ut mihi quidem videtur, prætereundo me lubenter negligunt; certè verò quid sum ego sine te? Si tu lineolas

las in me quaſdam duxeris, inſculpſeriſq; mihi quædam non contemnendarum facultatum ſpecimina, ſi tamen efficaci gratiâ tuâ, iſta parum in actum redigantur, omnia hæc quoad uſum, utilitatemque, vix quid, ſane nihilo meliora ſunt; Vbi vero lumen benigniſſimi vultus tui mihi tandem reddere dignatus fueris, certam, fœlicemq; conditionis meæ viciſſitudinē illico perſentiſco: omnia me nunc ita alacriter, officiosèq; contuentur, quaſi propoſitum iis foret, adſerere verbum illud tuum, *Honorantes me honorabo*; nunc linea omnis, ac figura, quam mihi inſcribere volueris utili alicui, ſalutariq; directioni inſervit. O Domine, gloria tibi redundat tota; Da tu mihi lumen, ego aliis documentum ſubminiſtrabo, utriq; tibi laudem tribuemus.

III.

Visâ eclipſi Solis.

LVx quidem ordinarium eſt, ac familiare beneficium; ita tamen nobis charum, ut illius, vel pro unius horulæ ſpacio, interceptio, mundum totum attonitum, pœnèq; examinem reddere ſoleat. Duo magna cœli luminaria, uti lumen nobis ambo impertiunt, ita & idem ſibi mutuò ſubtrahunt; Lunam obſcurat ſol, terræ umbram in oppoſitam ejus faciem projiciendo: vicem hanc rurſum Soli rependid Luna; opaco corpore ſuo inter oculos

noſtros, & glorioſos ipſius radios trajecto, utroq; non parum afficitur terra. O Deus, ſi nos ita affligimur obfuscatione tantillâ partis alicujus creatorũ à te luminarium, vel brevi horulæ unius, alteriusve momento; quæ tandem oborietur confuſio, ubi tu, qui horum luminarium Deus es, & præ quo meræ ſunt iſta tenebræ, faciem tuam à creaturâ tuâ æternùm ſubduxeris. O tu qui Sol es juſtitiæ, ſi peccatorum meorum unumquodque, faciem tuam obnubilaverit; noli tamen ſinere, ut vel graviſſimum delictorum meorum, luminis tui deliquium mihi unquam inducat. Tu ſplendes ſemper, cum te nullus videam; noli permittere, ſic ut obſcurent vultum tuum peccata mea, ut te videre omnino non poſſim.

IV.

Conſpectà Stellà cadente.

QVàm facilè decipitur viſus noſter? ſed & quàm facilè nos decipit viſus? Nihil nos vidimus diſcriminis inter ſtellam hanc, & reliquas; par utriuſq; lumen viſum eſt, ſtantis, cadentiſque; nunc verò novimus hanc nihil fuiſſe aliud, niſi vile quoddam limoſumq; meteorum, ſolaribus radiis parumper deauratum; jam igitur pes noſter calcat, quod miratus eſt pridem oculus; Si ſtella fuiſſet; etiamnum, & uſq; micuiſſet; nunc vel caſus iſte ſatis arguit falſum,

fallsum, & elementare ſpectamentum. Ità & charitas noſtra decipere nos, & ſolet, & fortè etiam debet, in ſpiritualibus rerum alienarum judiciis; Siquem videmus Chriſtianâ profeſſione elevatum eminentiùs, in ſuprema Eccleſiæ regione fixum, ſpecie quadam gratiæ clarè ſplendentem, non alium fas eſt hunc judicare, quàm ſtellam veram, in ſublunari iſtoc firmamēto conſpicuā; quod ſi iſte demùm à Statione ſanctâ pœnitus exciderit, præſens ſeculum amplexus, ſive quoad judicium, ſive praxin veritati renuntiaverit, virtutemq; pietatis omnem abnegaverit; nunc fidenter dicere poſſumus, verā hunc in ſe lucem parùm habuiſſe, nihilq; fuiſſe aliud, niſi glorioſulum quiddam ex hypocriſi, & ſuperbiâ conflatum. O Deus, ſi charitas me mea aliorum deceptioni expoſuerit, faxis ne ego me fallam ipſe; fortaſſis iſtarum Apoſtaticarum ſtellarum aliquæ, ſe veras arbitratæ ſunt aliquando; cautum ac ſolicitum me reddat horum caſus; Internum gratiæ tuæ lumen, veracitatem meam magis evincat mihi ipſi, quam externa quævis profeſſio me aliis glorioſum repreſentare poterit.

V.

Viſo luculento quodam proſpectu.

QVàm jucūda ſe heic exhibet varietas oppidorum, fluminum, montium, vallium, nemorum, paſcuorum; quorum ſingula ornare

ſeſe mutuò, omnia vero oculum delectare contendunt; Ita ut iſtòc ſpectaculum non aliud quidem videatur, quam vera ac nativa pictura chorographica, in hâc terræ tabulâ, oblectando ſpectatoris oculo, à dædalâ omnipotentis manu concinnata; Nulla creaturarum omnium, præter hominem ſolũ capax eſt pulchritudinis hujuſce diſcernendæ; iniurius planè ero illi, qui me huc adduxerit, niſi & oculos mihi unà paſcam, & laudem conditorem. Viciſſitudo quædam eſt, ſed & miſtura objectorum, quæ voluptate hâc tantâ, ſive ſenſum, ſive animum afficit; Eſt tamen ſpectaculum quoddam quod tibi ô mea anima, abſque omni varietate, ſolidiorem pleniorem q; delectationem offert; cœlum hoc intelligo, quod ſupra te cernitur. Proſpectus alii omnes tui in hoc deſinunt; ſplendidiſſimus hujus ambitus continet, definit, illuminat quicquid oculus tuus poterit contemplari; ſurſum ne ſpectes, deorſumve, aut circumcirca, determinatur illo viſus; ſed & inibi cogitationes tuæ fixæ acquieſcant. Lucidiſſimi hujus firmamenti vel palmus unus plus in ſe venuſtatis habet, quam tota terræ facies; & tamen hoc totum nihil aliud eſt quàm pulcherrimæ illius fabricæ pavimentũ imũ; nitidiſſimi tabernaculi velum extimum: poſſesne, (ô ſi poſſes) intra velum illud proſpicere, quali te illicò, beatifica viſione illa raptum ectaſi ſentires? In illâ luce incomprehenſibili videres eum, quem nemo non beatus videre unquam poteſt, multas puriſſimorũ, potentiſſimorumq;

morumq; Angelorum, ſanctarumq; & glorificatarum animarũ myriadas aſpiceres: ibiq; inter innumeras paternæ domus tuæ manſiones, tuam tibi fœliciter deſignatam cerneres. O vel optimam terræ partem, vilem modo, & deſpicabilẽ; Noli; ô noli deſcendere deinceps, animula mea, ubi ſemel cœleſtem hanc gloriã perluſtraveris; aut ſi caro iſta deſcendere te vel invitam coegerit, inquieta eſto, dum ſoluta fueris, ut liberè fruaris immortalitate.

VI.

De Globi fabricâ caſu confracta.

DIei certè vix poteſt, major ne ſit hóminis ars an impotentia; qui ne minimũ quidẽ graminis foliculum, aut arenæ granulum facere poteſt, mundos tamen integros audacter fabricare aggreditur; qui nihil quicquam facit, omnia interim imitatur; Ecce mundi hujus magni machinam artificio opificis in parvum volumen contractam, caſu verò multò contractiorem; Vidiſſet hoc modò, qui Platonis Rempublicam muribus corroſam cernens, fatalem illius politiæ cladem exinde hariolatus eſt; caſum hunc proculdubio; velut peſſimi ominis plenum interpretatus fuiſſet. Quicquid demùm de materiali hoc mũdo fiat, cujus ad interitum declinatio non minus videtur poſſe cum divinâ providentiâ conſiſtere quam Microcoſmi iſtius humani) nimis certè conſtat

mundi hujus moralis fabricam, ultimis temporibus miserè luxatum iri. A malo ad pejus declinat passim genus humanũ; Qui solus temporum omnium faber est, clarè prædixit pessimos fore periculosissimosq; novissimos mundi dies; O illum verè fœlicem, qui declinante quàmlibet mundo, stare rectus potest, communemq; universi ruinam constanti quadam virtute, ac bonitate reparare contendit.

VII.
Ad conspectum nubis.

FVerit ne nubes merè naturalis, quâ Servator noster in cœlum ascendens, à discipulorum suorũ oculis, in mõte Oliveti interceptus fuit, non anxiè disquiro; hoc certò scio, modò fuisse tempus in quo nubes, solé ipsum gloriâ exuperarit: O quàm invidebant fœlici illi meteoro intentissimi intuentiũ oculi; & quandoquidem glorioſum illud corpus cernere ultrà non licuerit, figebant se firmissimis radiis in curru illo cœlesti, quo subvectum fuerat, ægre divellendi. Angeli (quo tam avidos prospicientiũ oculos, ab hoc tã stupẽdo simul, ac grato spectaculo amoverent) discipulos graviter monuerunt; ita planè reversurum Iesum hunc, ac illi discedentem conspicati fuissent. In nube ascendit, in nubibus cœli, mundum judicaturus demùm revertetur. Non possum ô benignissime Servator, oculos sursum tollere, quin necesse mihi

hi fuerit clariſſima tui monumenta & aſcendentis, & redeuntis intueri; Faxis, oro, nequa nubes ſive ſæcularium cogitationum, ſive infidelitatis, animum mihi intercipiat, quò minùs vel ſequi te aſcendentem, vel reducem expectare poſſim.

VIII.

Ad conſpectum Sepulchri effoſſi.

TErra, uti magnus rerum heluo, ita & fidiſſimus earundem cuſtos, & conſervator merito audit; in cujus viſceribus liquores, ſed & carnes quædam diu à putredine vindicantur; inibiq; reconditorum ſpiritus magis exaltari ſolent, & educi fortiores: Præcipuè verò quàm tutò ſervat corpora hæc noſtra in illum Reſurrectionis diem: Cuſtodiendi, nempe, nos iſtic reponimur. Balſami, cerata lintea, capſulæ plumbeæ non ita fideliter hoc præſtant, ac communis iſte matris ſinus; Vbi omnia hæc in ſuum pulverem reciderint (quippe quæ non poſſūt ſemet a ſui diſſolutione liberare) illa recipit, reſtituitq; chara hæc pignora; neq; magis potero ipſe corpuſculum hoc meum à terrâ detinere quàm terra illud detinere poteſt à manu creatoris. O Deus, hæc arcula tua eſt, ſcriniumve ſacrum, in quo precioſas ſanctorum tuorum reliquias, uſque ad ultimum glóriæ Iubilæum ſervari voluiſti;

quàm me fidenter commendare ausim tutissimæ huic repositioni; qui certò norim, & verbũ tuum esse justum, & potentiam infinitam.

IX.

Ad conspectum auri liquati.

AVrum hoc uti pulcherrimũ est metallorũ omnium, ita & solidissimum; quod tamen facillimè omnium igne liquefieri solet; alia, ut viliora, sic tenaciora, quàsiq; morosiora sunt & quæ dissolutioni cedant ægriùs: Ita, purum, probèq; dispositum pectus sensu judiciorum divinorum, tantò citiùs in pium dolorem, timoremq; resolvitur: ubi carnalis animus obstinatè firmus est, salutarisq; pœnitentiæ haud parũ incapax. Quid nisi terra est quodcũq; demum metallum, est tamen aliud alio nobilius: Cor omne caro est; hoc tamen illo (virtute inoperantis gratiæ) impressionis spiritualis capacius. O Deus, tales nos sumus, quales tu facere voluisti; da mihi cor, obsecro, quoad veritatem gratiæ, syncerum, solidumque terroribus verò legis tuæ haud difficulter fusile; ita, obrysi metalli instar aptus ero, & sanctuario tuo in terris, & gazophylacio in cœlis.

X.

X.

Ad conſpectum amphoræ circumgeſtatæ.

QVi loco potentes ſunt, parum valentes judicio, facilè hâc, illâc ab adulatoribus, & paraſitis, hoc plane modo auribus geſtari ſolent: Ita ignari ſimpliceſq; auditores, à falſis & malè-zeloſis doctoribus miſerè circumvehuntur: At ſanè utraq; aure quam unâ portari tutius eſt: Vacuam planè ollam arguit unâ ferri aure. Ejuſmodi ſunt præproperi illi judices, qui parte unâ auditâ, ſententiam ſive abſolutionis, ſive damnationis temerè ferre non dubitant:

In omni veritatis abſtruſæ diſquiſitione vir ſapiens duci auribus, non geſtari ſuſtinet; nimirum hoc, violentum quendam paſſionis impetum arguit, quo recta ratio à ſua ſede diſturbatur; in rebus verò civilibus, ac communi famâ, uti auribus licet, certè fidere auribus parum expedit.

XI.

Ad conſpectum arboris nimiũ efflorescentis.

ECce iſtic arborem floſculis nimio quam onuſtam; fieri non poteſt ut flores hi omnes adoleſcant, & ſpem fructus edant; unus alterum

rum & humore ſpoliat, & incremento; Non equidem nimis mihi geſtit animus videre infantiam plus æquo feracem; In præcocibus hiſce initiis, una facultas detrahit alteri; tandemq; animũ ſucci expertem, ſterilemq; prorſus relinquit; Vt ergo in more nobis eſt quoſdam ex ſuperfluis hiſce, ac nimiùm numeroſis floribus avellere, ut eo magis creſcant reliqui; ita non minimæ prudentiæ eſt moderari primos hoſce præmaturæ pueritiæ exceſſus; Neq; aliter profectò ſe habet in re profeſſionis Chriſtianæ; ſubita ac prodiga gratiæ oſtentatio facilè implere poteſt & oculos vanâ admiratione, & os futili elogio; vix unquam ſero fructu gremium tandem impletura. Quod ad me; ſtet mihi neq; nimium promittere, neq; majorẽ quàm par eſt de me expectationẽ aliorum ciere, Malo de me conquerantur homines quòd minus pollicear, quàm quòd parum præſtem.

XII.

De quodam ſubitâ morte, in actu peccati, abrepto.

NOn poſſum nõ Dei juſtitiam ſummâ laude proſequi, ita tamen ut non minùs interea laudem ejus miſericordiam; Miſerrimè nobis cederet, ſi Deus omnẽ de nobis vindictæ anſam arriperet; Væ mihi; quis noſtrũ non æquè commiſit peccata, præſentaneâ ultione dignißima? ſi in malorum illorum actuũ flagrantiâ, ſubitò nos ſurripuiſſet vindex Deus, ubi fuiſſemus? O

Deus;

Deus; plus est quàm nobis misellis debes, quòd pœnitentiã nostrã usq; expectasti; non minus est quàm nobis debes, quòd peccata nostra graviter ulciscaris. Stipendium peccati mors est; stipendiũ verò merenti rependere, justitiæ est; Benedicta sit semper justitia tua, qui mihi feceris alios, justæ severitatis exempla; Benedicta sit misericordia tua, qui me aliis exemplum propinare gratiosissimè distuleris.

XIII.

Ad conspectum cœli & terræ.

O Stupendam contrarietatem! Perpetuò movetur cœlum, & tamen solus est quieti locus; Terra è contrà semper quiescit, & tamen nihil ibi est præter molestas agitationes, motus irrequietos; certè finis illius cœlestis circumvolutionis unicum est terræ beneficium; terrenarũ verò istarum concitationũ constantisq; vexationis finis unicus est, quies in cœlis; Ii qui imaginati sunt terram circumvolui, cœlumq; immotum consistere, supposuerunt hoc tamen fieri, ut nobis in hoc circumquaq; rapto terræ globo quietis sive stare, sive sedere interim liceret: quantò magis suaderi nobis potest, perfectã beatis omnibus requié, super mobiles hasce sphœras repositam esse; Parùm refert, ô Deus quibus me, breviculo hoc spatio, curarũ motibus agi contigerit, dummodò certũ mihi sit non multò post tempore, æternam tecum in cœlis requié indubiò reponi.

XIV.

XIV.

Ad conſpectum Erythaci cubiculum ſuum intrantis, canentiſque.

BElla avicula, quàm tu alacris iſtic ſedes, & cantillas; et tamen neſcis aut ubi ſis, aut unde tibi cænam comparare poſſis; aut in quo demùm arbuſculo tibi licebit poſtmodò pernoctari; Quàm me jam pudet mei; qui ubi tam largam mihi alimoniam munificâ Dei manu parari videam meq; ſentiam ædibus hiſce meis tutò ac commodè inſidentem, triſti tamen quâdam et ingratâ diffidentiâ langueſcere videor. Ego vero ſi æquè incertus eſſem aut domicilii, aut alimenti; quàm mæſtus eſſem, quàm ſolicitus! quantilla mihi lubido foret, aut tibi cantandi, aut mihi ipſi. Certè, non ſine providentiâ quâdam veniſti tu huc: Miſit nempe te huc Deus, non tam ut delectares mihi animum, quàm ut me pudore juſto ſuffunderes, convinceresque tetricæ cujuſdam infidelitatis, qui, cum media palam abundè ſuppetant, minùs tamen aut geſtiam, aut confidam: Ratio ac fides non tantum apud me valuerunt; quantum merus apud te naturæ inſtinctus; Ipſa hæc futuri neſcientia hilariorem te præſtat fœlicioremque, quàm me certa condicionis melioris præſcientia. O Deus, non minuitur providentia tua donis illis, quæ mihi

ſuper

ſuper bruta hæc animalia, benignus indulſiſti; Noli ſinere, ut majora hæc adminicula impedimento mihi ſint, quo minùs, & ſanctè ſecurus ſim, & fidenter alacris.

XV.

Ad conſpectum aruneæ in feneſtra latitantis.

NVllum in homine vitium eſt, cujus imago quædam & analogia in brutis animalibus reperiri non poſſit: ut inter nos, ſuos habet terra latrones, mare Piratas, qui ſpoliis vivunt ac ſanguine, ita & nullum non genus animalium nativos quoſdam habet ſpeciei ſuæ graſſatores; In aere accipiter eſt, lupus piſcis in fluvio, in Oceano cete, leo, tigris, lupus in deſerto, in apum præſepibus veſpæ, araneæ in feneſtris.

Inter reliqua, vide mihi ut puſillus iſte Arabs ſubdolè tentorium ſuum extendit prædæque inhiat; quàm ſtudioſe inſidiatur viatori: quamprimùm audit a longè, vel minimum advolantis muſcæ ſonitum, quàm feſtinat illico ad antri ſui oſtiolum, curioſe ſpeculaturus; quod ſi incautus ille hoſpes vel extimum tenuiſſimæ telæ ambitum ſemel tetigerit, quàm ſubitò accurrit, inſilitque miſerrimo captivo; & poſt quandam luctæ ſpeciem, arctè illum vinciens, ſubtilioribus ſuis funiculis miſellam

poſt

post se prædam in antrum trahit: Quid hoc aliud est nisi emblema latronum illorum spiritualium, qui perpetuas animis nostris insidias struunt; illi araneæ sunt, nos muscæ; illi peccatorum retia, nobis capiendis quàm latissimè extend. runt; in quæ ubi semel inciderimus, ligamur illico & in gehennam rapimur. Libera animam meam ô Deus ab astutis, secretisq; istorum machinationibus; nempe & horum venenum longè magis mortiferum est, & telæ robustiores, textæq; subtiliùs. Aut doce me quæso tentationem evadere aut vi pœnitentiæ laqueos iniquitatum perrumpere, faxisque ne prædæ sim malis illis spiritibus, qui animæ meæ perniciem insidiosè moliuntur.

XVI.

Ad conspectum pluviæ, Sole interim splendente.

TAlis est vel optima vitæ hujus conditio, si Sol divini vultus mihi tantillùm affulserit, non est quod ægrè mihi fuerit afflictionum pluviis interea madefieri. Quoties vidi ego cœli faciem nubibus, & tempestatibus obvolutam; nullo interim splendescente sole; tristia tamen illa, & nebulosa tempora patienter evici, solo fretus communis lucis solatio; tandem verò radii illi fœliciter emicuerunt, animamque mihi exhilararunt. Bene mecum actum erit, si quoad ordi-

ordinarium vitæ ſtatum, licuerit mihi per innatæ cujuſdam triſtitiæ nebulas, Satanæque tentationes, vel minimo cœleſtis conſolationis obtutu frui; non eſt quòd ſperem, dum in hac valle ſum, claram ſolis faciem, abſque omni ſive imbre, ſive nubeculâ, contueri; Vni cœlo reſervatur hæc tanta beatitudo; ſuprema illa regio gloriæ ab his dubiis, miſeriſque viciſſitudinum turbis immunis eſt; Ibi, ô Deus, videbimus uti videmur ipſi: Lux ſata eſt juſtis, & rectis corde gaudium.

XVII.
De via longitudine.

HEu, quantum diſtat mons ille, quem à longè conſpicor? ipſe mihi oculus tantæ intercapedinis merâ prævisione fatigatur; tempus tamen & patientia intervallum illud facilè ſuperabunt; hac nocte ſperabo fore, ut nos ultra faſtigia illa pernoctemur; Sunt quædam, quorũ expectatio plus in ſe tædii habet quàm executio; illud me ſolatur interim, nullum poſſe veſtigium metiri quo non accedam propiùs ad viæ terminum; quem ubi ſemel fuero aſſecutus, facilè quidem & itineris longitudinem obliviſcar; & refocillabo mihi animum retroſpectando in immenſum hunc terræ tractum, quem ita tempeſtivè licuit pedibus commenſurari: Non aliter ſe habet in noſtro, cœlum verſus itinere; natura hæc imbe-

imbecillitatis ſuæ conſcia, merâ & longitudinis, & difficultatis præcogitatione languere incipit; oculus non magis ducit, quàm dejicit mihi animum: Multa gratiæ & veræ obedientiæ veſtigia, illò me ſenſim perducent; Tantum, movere mihi fas ſit, & ſperare, divina bonitas oportunè tandem ſalutem meam perficiet; Da mihi interea, ô Deus, animum meum conſtanti quadam patientia poſſidere; & non tam celeritatem reſpicere, quam certitudinem; ubi ad ſummitatem ſancti montis tui adſpiraverim, omnes hi moleſti greſſus, viæque ſive cænoſæ paludes, ſive ardua præcipitia, vel prorſus oblivioni dabuntur, vel certè memoria ſui ad fælicitatis meæ cumulum haud parùm adjicient.

XVIII.

Ad conſpectum pluviæ & aquarum.

Quam certam, ipſique ſenſui obnoxiam viciſſitudinem conſtituit natura inter unionem, ac diviſionem? Vapores multi è mari exorti, in unam conveniunt nubem, decidit illa nubes in plurimas guttas diviſa; concurrunt hæ guttæ illicò, & per multa ſtillicidia in eundem canalem deſinunt, canales illi in rivulos, rivuli in flumina, flumina in mare confluunt; Receptaculum unum, vaſtum illud quidem, capaxque omnia hæc ſuo ſinu complectitur; iſtuc

iſtuc nempe velut ad primum ac originale principium refluunt ac recurrunt omnia: Pari modo ſe habet, aut habere ſaltem debet cum donis ſpiritualibus, ac divinis; Tu, ô Deus, chariſmata ſuper nos tua vbertim diffũdis, non ſervanda nobis ilicet, ſed aliis derivanda; Multijuges illæ facultates, quas in varium hominum genus depluere tibi placuit, non eo abs te animo dimiſſæ ſunt, ut eo ipſo in loco abſorberentur, in quo decidunt; ſed, ut per diverſarum vocationum canales, in fluenta communia, univerſali ſive Eccleſiæ, ſive reipublicæ bono, deducerentur; Recipe a me, Domine, pauculas illas guttulas, quibus animam meam irrigare, voluiſti, faxiſque redeant affatim in immenſum illud glorioſæ gratiæ tuæ Oceanum, unde originem ſumpſerunt.

XIX.

Ad eundem, rurſus.

Guttæ multæ canaliculos implent; canaliculi multi rivulos: rivulorum multorum incurſu turgeſcunt flumina; haud excedere ſolent ripas ſuas rivuli, donec ſe evacuaverint canaliculi; neque intumeſcunt flumina, dum pleni ſunt rivuli; ſed, ubi ſemel fluvioli ſe in amnes exoneraverint, tota vallis ſubitâ exundatione operitur. Ex parvis initiis oriuntur magna; è multis minimis larga concreſcit moles:

les : Mundus iſte, quid tandem eſt niſi quiddam ex atomis conflatum ? Etiam in rebus crvilibus ita factum vidimus; Imæ plebis diminuta ſupellex potentiorum opes haud parum auxit ; quibus nempe ſatis anguſta res fuit, donec privatorum quorundam influxuum acceſſione creviſſet? Quot evacuatis canalibus debent iſti tantam potentiæ inundationem ? Neque aliter ſe mecum habet in quâcunque ſive externâ ſive ſpirituali conditione. O Deus, tu guttas meas in undas multiplicaſti, ut ex plurimis tẽporis momentis ætatem meam conflaſti ; ita, ex multis documentis hunc mihi quantillum cognitionis modulum complere voluiſti ; ex multorum amicorum benefica largitione quantillas opes congeſſiſti, multis denique ſpiritus tui ſanctis motibus, influxibuſque, ad aliquam ſaltem gratiæ mẽſuram me ſuaviter perduxiſti : Doce me, ô Deus, ſapiẽter, moderatèque bonitate tua frui ; daque ut quas impertiiſti mihi undas in guttas tuas reducam, guttas verò tuas, in nubes : adeoque unde, & quomodo, quicquid habeo, quicquid ſum humili, gratoq; animo agnoſcam.

XX.

Lucernâ introductâ.

QVantum verò mutatus (ex quo lumen introiit) videtur locus iſte, imo, & nos ipſi ? Om-

Omnia profectò novam formam, & vitam quaſi novam induiſſe viſa ſunt; neque nos ipſi, iidem ſumus. Quàm pulchra res lux eſt, quam jucunda, quam ſpiritibus humanis apprimè congrua: nec qua rerum viſibilium uſpiam eſt, quæ ita propè accedit ad naturam animæ noſtræ, imo, creatoris, Dei; Vti, è contra, quàm triſtes ſunt tenebræ; adeo ut ſceleratiſſimos quoſque, carcerum obſcuritate punire ſoleamus; utpote, quos ſatis miſeros eſſe poſſe non arbitremur, modò lucis hujuſce privilegio frui liceret; ſed & ipſi damnatorum cruciatus, non atrociore quopiam, quàm extimarum tenebrarũ nomine, deſcribi ſolét; Quid aliud ſunt Tenebræ, quàm mera lucis abſentia? Lucis vero tenebrarumve ſive jucunditas, ſive horror, ſecundùm qualitatem, gradumve cauſæ, (unde ortum habet) ſolet æſtimari; Quod ſi pauperis lucernæ igniculus, qui nihil aliud eſt niſi pauxillum, inflammati aeris, fuliginoſi cujuſdam lini oleaginoſæ pinguedini circumfuſi, ita oculos, animũq; afficiat, quantò magis glorioſis ſolis radiis, cœleſtis lãpadis ſplendore delectamur? quanto verò adhuc magis ſupremi illius, æternùmque ſplendentis Iuſtitiæ Solis, qui hoc lumen ſoli viſibili, hunc Solem mundo donavit, beatificâ luce refocillamur? Et, ſi dubiæ hæ, imperfectæq; tenebræ (quæ præter luminis ſive naturalis ſive artificialis privationem nihil omnino ſunt) tantum triſtitiæ ſecum afferre ſolent; quantum horroris incutient diræ illæ tenebræ, quæ ab æternâ glorioſiſſimi Dei, patris luminum

ab-

abſentiâ oriuntur: Quantâ, o domine, quàmque juſta miſeratione proſequimur infœlices illas animas, quæ in ignorantiæ tenebris, ac vmbra mortis ſecurè vſq; ſedent; ab omni ſalutari tui (veri nempe dei) cognitione miſerrimè excluſæ; ſed, quanto horrore concutior, planèq; conſternor, ubi ſubit animum tremenda damnatarum illarum animarum conditio; quæ à facie divinâ perpetuò arcentur, exquiſitiſſimis, ſempiterniſq; caliginibus adjudicatæ?

Pigebat ſui Egyptios etiam ob tenebras triduanas: nuſquam tamen comperimus cruciatuum genus ullum, longam illam noctem fuiſſe comitatum. Quid igitur dicemus de illis deploratiſſimis animabus, in quibus infinitorum torminum ſenſus, cum ſummo perpetuæ dei abſentiæ cruciatu (horrendo planè modo) conjungetur?

O tu, qui ſolus es vera lux; diffunde radios tuos per cæcas omnes animæ meæ latebras, anfractuſq;; meque per debiles quaſdam gratiæ emicationes, ad perfectum gloriæ tuæ ſplendorem perducito.

XXI.
De eadem.

QVantùmlibet lucem diligamus; ſolemus tamẽ eam, primo ingreſſu, conniventibus, clau-

clauſiſque oculis ſalutare ; non ſuſtinentes videre illud, ſine quo nihil videmus : ſubitæ mutationes (tametſi fortè in melius) aliquid ſecum ſemper moleſtiæ ferre ſolent. Quanto ſpectaculum aliquod excellentius eſt, & ſplendidius, tanto magis debilis oculorum noſtrorum acies primo illius obtutu offenditur. O Domine, ſi tu glorioſam præſentiam tuam, nobis iſtic agentibus patefaceres, hujus nos intuitu prorſus confunderemur illicò ; Quàm ſapienter, quàm gratiosè iſtoc reſervaſti glorificationis noſtræ conditioni, ubi nulla oculos noſtros debilitabit infirmitas, aut perſtringet gloria ; ubi abſoluta juſticia, perfectam nobis & viſionis, & fruitionis fiduciam æternùm præſtabit.

XXII.

Accenſo igne.

REpercutimus flammam, non ſupprimendi quidem animo, ſed excitandi potius, augendique : Afflictiones illæ repulſæque, quæ dejicere nobis animum, aut planè demere videntur, revera, nihil aliud ſunt, quàm benigniſſima gratiæ incitamenta : Si judicii vindictam animæ meæ intenderet Deus ; aut fomitem gratia motus mihi ſubduceret, aut frigidum igni ſuffunderet, aut bonorum ſubinde motuum defectu flammam languere fineret, & interire ; nûc verò, ubi adminicula, oportunitateſq; boni,

boni, & desideria sancta mihi continuò subministrare voluerit, malè profectò mentem Dei mei interpretabor, si afflictiones hasce, ad restinguendum potiùs, quàm ad accendendum vivificandumque spiritum in me suum, immissas judicavero ? O Deus, nisi folles tui aliquando, in me sufflando vehementiùs, spirituali quadam repercussione animam mihi exercerent; conditionem equidem meam meritò suspectam haberem; pauculæ illæ, minimæq; gratiæ scintillæ, quæ animæ meæ superstites sunt, citò extinctæ forent, nisi hoc modo excitarentur: perge, ô Domine, adflare illis fortiter, donec accendantur; accendere donec ad te usque exardescant, flammasq; in cœlum emittant.

XXIII.

Ad canis latratum.

QVid vero feci ego cani huic qui me sic irato clamore prosequitur? Si illum increpuissem acriùs, baculumve ei intentassem, aut pronus quæsissem lapidem quo illum impeterem, meritò irritassem hunc strepitum; hosque nimis importunos latratus.

At verò, quid mirum videri debet in brutis hanc inquietam dispositionem comperire, cum hoc idem in hominibus ratione præditis, usu veniat. Annon vidi ego sæpiùs innocétiam, ac bene-merita, rixosi invidique vulgi allatratio-

nibus

nibus (abſque omni, niſi bonorum forſan officiorum provocatione) exceptam? Annon ſenſi ego, non linguas modò, ſed & dentes iſtorum nihil ſuſpicantis mei calcibus infixos, qui inhil interea niſi meras blanditias meruerim?

Vbi aut virtus mea, aut animus, ſi non didicerim utrumque horum contemnere?

Moriar ego, ô Deus, moriar priùs, quàm volens quicquam patravero, quod iram tuam, juſtamq; piorũ cordatorumq; ſervorum tuorum offenſam proritet, mereaturque; quod ſi malus cujuſquam genius, factiove, aut injuſtum fortè præjudicium (fidelitatis erga te meæ cauſâ) impetierit; fatigent ſibi, quantum volunt, diſrumpantque guttura clamoſi hi canes, falſis, canoriſque cenſuris; ſilenti quadam conſtantiâ, pergam ego interim; & ſi aures mihi vapulent, cor ſanè liberum, ac ſecurum conquieſcet.

XXIIII.

Viſâ ἀλεκτρυομαχίᾳ ſive gallorum pugna.

QVid verò eſt quod ita diſſident iſti alites? unde tam cruenta hæc pugna? Certè nec vetus aliqua ſimultas, nec recens injuria in cauſa eſt; Quorſum ergo hæ tam diræ lites? Nihil profectò hos inter ſe committit, niſi quod unire potiùs, ac conciliare deberet; communis natura; eadem utrique ſpecies eſt;

non video horum alterutrum in diverſi generis volucres involantem, ſed ubi cum aliis omnibus pacem alunt, bellum ſecum ipſi gerunt; nec alia quidem provocatione, quàm mutuo ſui conſpectu irritantur; Quòd ſi hoc in culpa ſit, cur non unuſquiſque ſecum ipſe diſſidet, dum id quod ipſe eſt in alio odit, ac ulciſcitur? Ex quo hominis peccatum litem in mundum intulit, plena eſt natura rixarum, diſſidiorumque. Nullus eſt in totâ creatione ſulcus, in quem non jacta ſunt diſcordiæ ſemina, inque vix finitam antipathiarum varietatem excreverint; quarum certè nulla, vel odioſior eſt, vel deploratior, quàm quæ inter creaturas ejuſdem generis, intercedere ſolet.

Quid verò hoc aliud eſt, niſi imago triſtis illius inimicitiæ, quæ inter nos rationis compotes, non communi modo humanitatis, ſed & religionis etiam vinculo conjunctos, paſſim exercetur. Pugnamus, ilicet, nobiſcum, noſq; perdimus mutuò, plus quàm animalia illa, quæ ratione, domandis, moderandiſve affectibus, deſtituuntur: Nec quæ bellua ita homini crudelis eſt, ac homo ipſe; ubi unus, ferarum ſive dente, ſive ungue perit, multæ myriades humanâ manu trucidantur. Quid eſt bellum illud, quod tam ſtudioſè gerimus, niſi ars occidendi? Quicquid Turcæ ac Pagani faciant, quouſque, ô Deus, brutus iſte furor armabit contra ſe invicem gentes Chriſtianas? Etiam diabolis quidem ipſis inter ſe parum diſconvenit; concordes ſunt illi in malo, nimis; unde fit, quod nos homines

ita

ita nobiſmet in bono læthaliter adverſemur? O tu, qui ſolus es pacis Deus, ita compone inquieta hominum pectora, ut in communi quâdam concordiâ fœliciter conſpirent; recrea tandem animas noſtras multitudine pacis.

XXV.

Ad decubitum ſuum.

QValis eſt iſte rerum humanarum, eventumque circulus? Nunquam ſanè mutatione quadam vacat conditio noſtra; nec tamen in illa mutatione nimia cernitur varietas; Dormimus, evigilamus; evigilamus, dormimus denuò; edimus, evacuamur; laboramus, non ſine continua quadam viciſſitudine; ita tamen omnia diſpoſuit ordinavitque infinita Dei ſapientia; ut perpetuis hiſce iterationibus parùm fatigemur, nec minùs alacres ingeramus nos quotidianis iſtis exercitationibus, quàm ſi ſemel in vita nobis forent tranſigendæ: Diurnis laboribus bene-feſſus quàm libenter exuo me, Lectumque ſubeo: ante lucis dein matutinæ exortum, inquietioris lecti pertæſus, quanto libentiùs exurgo, laboremque repeto? Quidni ego magis appetam exuere corpuſculum hoc, ut immortalitate ſuper-induar? Quid enim aliud hoc eſt niſi veſtis intima, quam ubi ſemel depoſuero libertate fruitur anima mea, ac quiete: Quoties decubui ego plenus ſpe nocturni

refrigerii, tandem vero, poſt crebrarum volutationum tædia, laterumque fruſtra commutatorum ſitus varios, ſurrexi inſomnis, triſtis, languidus? Vbi me extremùm hoc tandem exuero; non poteſt vel corpus hoc meum quiete, vel anima gaudio deſtitui; neutrum verò, ubi ſurrexero, gloriâ. Quid eſt, ô Deus, præter innatam quandam infidelitatem, quod me impedit ab hujus tam fælicis diſſolutionis ambitu? Sat habet mundus miſeriæ, ac moleſtiæ, ſatis ſuperque habet cœlum beatitudinis, ad ciendum perficiendumque hujus ultimæ, glorioſiſſimæque mutationis deſiderium. Credo Domine, adjuva incredulitatem meam.

XXVI.

Viſis carbonibus ignitis.

VIx quæ creaturarũ omnium eſt, quæ naturali quodam inſtinctu non appetat diffundere ſe, ac dilatare; Nec ignis, nec aqua ſuis ſe terminis contineri ſinit; ſcintillulæ illæ quæ in carbonibus iſtis cernuntur, quàm ſe exerunt, accenduntque proximas faces.

Identidem ſe habet moraliter cùm in malo, tum etiam in bono, utrunque horum ſe dilatat facilè, proximoſque afficit: quod tamen in malo, tantò magis conſpicuum eſt, quantò nos illi fovendo proſequendo aptiores ſumus. Vbi minima

minima hæreticæ opinionis ſcintillula in animum inſtabilem, ſuperbum, irrequietum inciderit, afficit illum illicò, proximumque capax ſubjectum ſtatim accendit; illi duo tertium ſubinde inflammant; jam verò, quanto major ſocietas, tanto major publicæ combuſtionis, & celeritas, & intentio. Vbi eccleſiam Dei videmus flammis miſerè correptam; ſerò quidem de ferro & ſilice conquerimur. Illud ſuperiorum ſanctæ prudentiæ fuerit, periculoſam pervicacium, contentioſorumque animorum attritionem tempeſtivè præpedire, & primas quaſque ſcintillulas, ubi exciderint, confeſtim extinguere. Quorſum verò non æquè prævaleat Gratia, ac veritas, ſuos propagando terminos, ad plurimorum utilitatem ac ſalutem? Certè quidem plus habent iſtæ in ſe illicii, niſi depravatio noſtra nos nimis incapaces boni præſtitiſſet.

O Deus, dum ſacrâ quadam invidiâ percitus, æmulabor fælicem nimis, mali ſucceſſum, dabo quantum potero, operam, ut alii cœleſtibus hiſce flammis accendantur; quæ, ſi non latiſſimè ſe diffuderint, haud meâ profecto culpâ acciderit.

XXVII.

Conſpecto mendico humili ac manſueto.

ECce modò quantū poſſit egeſtas! homo iſte, qui tam humiliter viatori illi proſternitur,

sine dubio non minus habet stomachi, quam is, cui adeò supplex provolvitur; & ,si mutarentur fortè utriusque conditiones, æquè superciliosè despiceret, æquè fastidiosè alloqueretur hunc, quem nunc blandâ quadam, projectâq; reuerentiâ excipit.

Ita planè se habet inter Deum, & nos; videt ille nempe, nulla nos posse ratione melius domari, quàm rerum externarum penuriâ; Etiam bestiæ vel maximè efferæ, carentiâ tamen cibi, ac quietis, cicures redduntur, & capaces disciplinæ. Tu solus nosti, ô Deus, quid ego facerem, si modò mihi valetudo, requies, rerumq; omnium copia suppeteret; tu ergò, pro infinitâ sapientiâ, & misericordia tuâ, ita justa quadam proportione tuas, sive largitiones, sive coercciones dispensa, prout animæ meæ maximè expedire noveris; Si non adhuc humilier satis, indigeam ulteriùs, & ita dispone res meas, ut nisi te uno, omnibus destituar.

XXVIII.

Conspectâ cornice velleris ovini lanum vellicante.

QVàm probè norunt hæ creaturæ quibuscum tutò, ac fidenter agere liceat; Non audet cornix ista hoc facere Lupo, aut cani, Nota bestiæ hujusce insontis simplicitas, ansam porrigit huic audaciæ; Mitis quædam animi dispo-

tio

positio facilè proritat injurias; Pravorum ingeniorum crudelitas illos vulgò seligit, non qui pessimè merentur, sed qui plurimum pati volunt; Malè locantur patientia, & mansuetudo animi, ubi contumeliæ, insultationiq; hominem exponit. O vinæ dispositiones, optimæ aliis, sibi verò longè pessimæ sunt; Non illibenter equidem ferrem injurias; nollem tamen committere, ut eas lenitate meâ provocem: Quod ad innocentiam, ovis sim, videarve; at si quis vellus meum dilaniare ac deglubere satagit, caveat is sibi.

XXIX.

Visis duobus limacibus.

QVanta, quàmque varia est inter creaturas ejusdem speciei, diversitas? Ecce istic duos limaces; Alter domum suam gestat, domo caret alter; Limaces tamen ambo; nec utrius melior sit condicio facilè constat: qui domum habet, plus habet tutelæ; qui domo caret, plus habet libertatis; Privilegium tecti illius cum magno onere conjunctum est; objiciatur modo lapis quispiam domiportæ illi, necessariò adscendendus, quantâ cum difficultate beneficium illud pondus secum trahit, onustus ille viator? quod si paulò angustior fuerit via, nullus ingressui locus conceditur. Vbi ille alter, vacuus, nulla sentit viarum discrimina.

Certè ſemper quietus, aliquando & fœlix eſt, cui nihil ſuppetit; nemo hominum inuidendus eſt adeo, ac ille, qui in ægeſtate poteſt eſſe alacris.

XXX.

Auditis vendacium quorundam clamoribus platearibus.

QVanto cum ſtrepitu proclamant hi pauperculi merces ſuas? narrat unuſquiſque quid ſibi ſit, vultque hoc auditoribus omnibus palàm innoteſcat: & tamen viliſſima ilicet ſunt iſta, quæ tanto ſtridore venditant; Non audio ditiorum mercatorum quenquam, publicè fateri quantum ſibi in arca nummorum ſit, aut quantæ rerum pretioſiſſimarum gazæ in ſecretis ſibi repoſitoriis recondantur: Vnuſquiſque potiùs diuitias ſuas celare cupit, & ubi urgetur vehementiùs, facultates ſuas diſſimulare ſtudet.

Nec ſe habet aliter in veris, ſpiritualibus nimirũ, opibus; qui plenus eſt gratiæ, bonorumque operum, parùm curat iſta mundo gloriofiùs oſtentare, ſed in ſecreto bonæ conſcientiæ teſtimonio, tacitoque applauſu Spiritus Dei ſibi atteſtantis ſuauiter acquieſcit; Vbi e contrà, propriæ dignitatis facultatis meritorumve venditatoria propalatio miſeram arguit horum omnium indigentiàm; O Deus, ſi donorum

norum tuorum confessio gloriæ tuæ inservire possit, non committam, ut modestia mea tenacis cujusdam ingratitudinis rea peragatur; Sed quod me ipsum attinet, non possum equidem nimis latere: Ita me fac abscondam, ut tibi parùm injurius sim; & inter laudes tuas, meique ipsius prudenter discam distinguere.

XXXI.

De muscis ad equini dorsi recrudescentis scabiem collectis.

QVàm frequentes ad miserlæ hujus bestiæ sanioſam plagam convolant muscæ? ibiq; sedent, purulentâ illa carne se saginantes, reliquas saniores corporis partes ne attingentes quidem. Sic planè faciunt invidæ detractorum linguæ: si vitiosi quid insit sive personæ cujusquam, sive actionibus, istuc illico confluunt, huic insistunt; laude digna si qua sint, & benè gesta, tacitè ista omnia, negligenterque præterire solent.

Invidiosa certè philautia cum pusillanimi quadam crudelitate conjuncta pravam hanc in hominibus dispositionem progignit, hoc interim solùm reportant malevoli isti; non potest non esse animal turpissimum, quod sola sanie pascitur.

XXXII.

Ad conſpectum Laternæ ſecreta quadam duplicatione obſcuræ.

LVmen inibi eſt, ita tamen prorſus occluſum, ac ſi non omnino eſſet : Vbi verò latus apertum oſtenditur, ſat luminis exhibetur dirigendo viæ duci, qui laternam portat, alii præterea nemini; ipſe alium facilè diſcernit beneficio illius luci, quæ ſibi projicitur; alius verò illum interea diſcernere non poteſt.

Talis omnino eſt reſervata ſibi ſcientia; nec præter poſſeſſorem, quicquam cuiquam prodeſt; Inter celatam artem, & ignorantiam, nullum externum diſcrimen eſt; & ubi abſcondita hujuſmodi eruditio foras dignatur proſpicere, ita parcè lumen emittit ſuum, quaſi publicam utilitatem omnem prorſus declinaret; exhiberetque facultatem quandam, abſque omni bene agendi voluntate; cenſuræ ergò potiùs quam communis beneficii; Adminicula nempe illa, quæ Deus aliis communicata voluit, nobis ſuppreſſa clanculùm, ac retenta, quid aliud ſunt niſi hæc, quæ furum ſolet eſſe propria, laterna, honeſti hoſpitis manu geſtata?

O Deus, cùm à te patre luminum, lux omnis noſtra ſit, fac, ne ſim junceæ illius candelulæ quam in animâ meâ accendiſti, avarus diſpenſator; fac ſim aliis impertiendo lumen, quàm recipiendo, fœlicior.

Et

XXXIII.

Audito hirundinis cantu in camino suo.

ET hoc melodiæ quoddam genus est; quamdiu verò durabitur? ubi frigescere cœperint matutini rores, abiit illicò hospes hic meus, absque omni valedictione, aut verò notitiâ; Iucunda hæc anni tempestas minimum indiget suavi sonorum modulatione; quam hyems media frustra desiderabit; Ita facere solet ingratus Parasitus; nemo paratior est res prosperas nobis gratulari, nemo illis fruitur nobiscum lubentiùs; sed, ubi unà cum temporibus, mutari incipit condicio nostra; hospitem ille saltem rebus se nostris, & inquilinũ gerit; Cedò mihi avem, quæ durissimâ hyeme cantillat, & constrictissimo gelu petit fenestras meas; Vna fornax amicitiæ, adversitas est; Quem non pudet vinculorum meorum, qui immerentis mei nec cẽsuris dejicitur, nec alienatur cõtumeliis, ille mihi amicus esto; vel unus scrupulus amoris, quo me iste talis prosequitur, plus apud me valebit, quàm mille pondo inconstantis simulatæque professionis.

Con-

XXXIIII.

Conſpectâ muſcâ quadam lucernæ flammâ ſe comburente.

Lux, inquit ſapientiſſimus ille Salomon, jucunda res eſt, & certè ſic nos facilè comperimus: Attamen externum lumen nullum eſt, quod non ab igne proficiſcitur; lumen autẽ illius ignis non magis jucundũ eſt, quàm ignis illius luminis periculoſus: neq; magis viſum noſtrum allicit illius voluptas, quàm hujus periculum approximationem vetat: Quàm fatua eſt muſca hæc, quæ præ lucis amore, ac admiratione, diſtantiæ tutamen nulla vel ſcire, vel ſervare voluit; ſed ingerit ſe temerè, huic, quâ periit, flammæ: Per quot gyros, ſingulos ſingulis proximiores, ante ultimum hunc auſum, circuiit? nunc verò immitis flamma, parum agnoſcens blanduli clientis affectum, ſubitò illam abſumpſit. Ita faciunt curioſa illa, & audacia ingenia, quæ ad lucem divinæ Majeſtatis inacceſſibilem, propriùs quam par eſt accedere non verentur, reſque nimis altas, ſtupendaſque ſcrutari malunt: Tam diu nempe iſti ſecreta omnipotentis conſilia incautè circumvolitant, donec audentes animorum alæ comburantur, & ipſi æternâ pernicie, inſanam curioſitatem luant. Bea me, ô Deus, rerum illarum notitiâ, quæ tu revelare voluiſti; contentus

tentus ſim ego adorare divinam ſapientiam tuam, in iis, quæ parùm revelaſti; Ita luce tua fruar, ut ignem tuum interea evitem.

XXXV.

Conſpectâ alaudâ ſurſum volitante.

QVam agili celerique pennâ, puſilla hæc alauda, rectâ quidem lineâ, cœlum verſùs cantillans aſcendit? Vbi accipiter, cui robur corporis majus, & ala celerior, per multas circumgyrationes, aſcenſus ſui faſtigium gradatim tandem aſſequitur: nempe illa corporis moles, alarumque longitudo impedimento ſunt, quo minùs rectâ poſſit aſcendere; quandoquidem iſtud, & aliquod aeris adminiculum, & idoneum volatui promovendo ſpatium, requirat; ubi minima illa aviculâ, abſque omni reluctatione, aërem liberè findit, nec quo indiget externo motus ſui adjumento.

Nec ſe habet aliter cum hominum animabus, cœlum ſuum repetentibus; non deſunt, quæ ſuis iiſdem facultatibus, quibus accelerari poſſe videretur fælix hic curſus, haud parùm retardantur; Ingenium fortaſſe igneum, profundum judicium, apprehenſio facilis, ita nimis multos præpediit, ut neceſſe illis fuerit, ſuam ipſorum remorationem non parvo labore redimere.

Vbi

ubi boni adfectus honestas simpliceſque animas immediatè evehunt ad ſuum cœlum; Deoque liberè frui jubent. Quorſum verò efferri nos patimur illis dotibus, quæ noſtram ad gloriam iter retardare poſſunt? Quorſum, è contrà, dejicimur tenuitate, aut paucitate donorum illorum, quorum abſentia (quæ cordis noſtri eſſe poteſt affectio) ad beatitudinem facilitare nobis viam poteſt?

XXXVI.

Auditis aviculis verno quodam mane cantillantibus.

QVàm alacriter modulantur hæ aviculæ, ac cantillant præ nativo quodã gaudio, quod appropinquante jam Sole, Vereque novo intrante conceperunt; quaſi vita ipſarum & diſceſſiſſet unà, & unà etiam cum beneficis illis radiis rediiſſet: Vero juſtitiæ Sole, patre luminum, non aliter afficitur anima fidelis, pœnitenſque; ubi ille faciem ſuam abſcondit, graviſſimè perturbatur, triſtemque afflictionis tantæ hyemen ſilenti quodam planctu conſumit, ubi ille tandem redierit, in preſentiâ ejus plenitudo eſt gaudii; nulla ſatis alacris eſt cantilena, quâ illi reduci gratulemur; O tu, qui conſolationis omnis Deus es, inde cordi meo ſenſum ſuaviſſimarum delectationum, dulciſſimæ præſentiæ tuæ; facitoq; ut os meum laudem tuam canorè eloquatur.

Ad

XXXVII.

Ad conſpectum prunæ cineribus cooperta.

IN cumulo hoc toto nihil quicquam apparet præter meras favillas; neque lux illic eſt, neq; fumus, nec calor; & tamen ubi excito hoſce cineres, vivi quidam carbones inibi reperiuntur, qui ignem & continent, & propagare apti ſunt; Non pauca Chriſtianorum pectora inſtar foci hujuſce ſunt; nulla pro tempore in illis gratiæ vita apparet, ſive ſenſui ſuo, ſive judicio aliorum; durante tentationis impetu, frigida videntur omnia, planèque emortua; adhuc tamen, ubi peſſimo in ſtatu res ipſorum ſunt, prunæ quædam ſecretæ ac altari cœleſti accenſæ, in illorum ſinu abſconditæ latent, quæ ſalutaribus Spiritus ſancti motibus erutæ & afflatæ, reliquias quaſdam præ ſe ferunt divini ignis, tandemq; facilè ad perfectam uſque flammam excitãtur. Nihil periculoſius eſt quàm ex ſpecie externa judicare; quare aut me dejicerem ipſe, aut alios cẽſurâ notarem quaſi Spiritum omnino extinxiſſent; ubi ille, retraxerit ſe modo aliquantiſper, inque pectore intimo abdiderit, ut ſe tandem magis glorioſum, præſentemque exhibeat.

Con-

XXXVIII.
Conſpecto Æthiope.

ECce homo, cujus color ſatis indicat eum longè abeſſe domo! ex ipſa cute regionem ipſius facilè intelligimus; In illius facie nox eſt, ubi in noſtrâ, dies; Quantum homo homini diſtat, & formis & coloribus; omnes tamen intereà ejuſdem patris filii ſumus; Neque minor animorum varietas eſt, diſpoſitiones, judicia, opiniones hominum non minùs profectò diſtant, quàm figuræ, ac temperamenta: Quod huic pulchrum, illi videtur deforme; Et nos, in iſtius hominis patria, pari ſtupore, ac faſtidio adſpiceremur; Decorus iſte qui nobis videtur faciei candor, non aliud illis, quàm eruda quædam formæ indigeſtio cenſeretur; Pulchritudo externa in ſpectantis oculo potiùs, quam in ſpectati formâ collocatur; Color quicunque fuerit, pulchrum eſt quod placet: Etiam ipſa Chriſti ſponſa de ſe faſſa eſt, nigram eſſe ſe, ſed decoram tamen; Hic idem ſpiritualiter color noſtri omnium eſt, oculus tamen benigniſſimi Dei, & ſervatoris noſtri, pulchritudinem illam, quâ maximè delectatur, in nobis conſpicari profitetur. Verus Moſes ducit Ethiopiſſam; Chriſtus Eccleſiam; Non eſt quòd nos cutem curemus, ſed animam: Illa ſi innocens, pura, ſancta fuerit; externæ cutis ru-

gæ

gæ ac maculæ, parùm amovere poterunt, amorem illius, qui dixit; Ecce formoſa es, mea ſoror & ſponſa, ecce formoſa es: Quòd ſi illa turpis & atra fuerit, non eſt penes Angelicam corii noſtri formam, ac ſplendorem, præſtare nos quicquam aliud, quàm exoſum horrendumque Deo ſpectaculum.

O Deus, animam meam facito pulchram tibi, ac ſpectabilem; novi ſat benè intimâ illam formam uſque duraturam; dum cœlum, caſus, ætas, morbus, fædare exteriorem hunc hominem, & tam colores quàm liniamenta omnia deformare, facilè poterunt.

XXXIX.

Viſa Galaxia, minimiſque in ea ſtellulis.

QVanta claritudo, ac ſplendor in illo cœli circulo, ſupra reliquos quoſque orbes, cernitur? unde hoc evenire arbitramur, niſi forſan ex eo, quòd multarum minutiorum ſtellarum lumen ibi uniatur, conſtantemque hunc nitorem efficiat. Illæ tamen minutiores ſtellæ non diſcernuntur interea, dum ſplendor ab illis profectus, ita inſigniter conſpicuus eſt: In cœlo hoc inferiore multi ſunt, qui dotibus egregiis, meritiſque, in hominum notitiam

notitiam deveniunt; ego verò illorum humilitatem, ac gratiam plurimùm admirari soleo, quorum virtutes, ac benè-gesta utilitati publicæ maximè conducere cernuntur, dum ipsorum personæ obscuræ delitescunt: Secretè glorioſum est nemini visum splendere interim. Nimia proculdubio altitudo est, quæ facit ut vel omnino non videantur stellæ illæ, aut videantur minimæ; quæ si inferiùs paulò demitterentur, majores apparerent; Nulla vera magnitudo est, absque intrinsecâ quadam humiliatione sui; Provectione nostra utemur pessimè, si quanto altiùs elevamur, tantò minores non videamur; parùm refert abscondi nos, dum lumen nostrum palàm cernitur.

XL.

Viso puerorum ludo.

TRahit sua quamque ætatem voluptas; Ita fecimus & nos hoc ætatis. Videor equidem mihi jam nunc veterem puerilium ludorum fervorem recens recordari; Quàm acriter, quantoque passionum impetu prosequuntur pueruli isti ludiera hæc exercitia? Vide mihi puerum illum, ubi totus calculorum manipulus jam pignori sistitur, quàm cor illi ferè in os insilit, præ formidine proximi jactus; quàmque desiderio ac spe proprii successus nimiùm exaltatur? Certe, magni illi nepotum gurgites, qui,

qui, quicquid eſt patrimonii, alearum fortunæ totum committere audent, caſum illum decretorium, aut vehementiùs expectare, aut majore cum gaudio doloreve accipere nequeunt. Non poſſumus non ridere modò, ubi ſubit animum tam futiliũ, fatuarumque puritiæ noſtræ delectationum, recordatio; Nec minore profectò faſtidio, renatus homo, vel chariſſimas naturalis condicionis voluptates proſequi ſolet; Hilari olim, ſolutoque animo ſolebat ille mundo frui, Convivia, comeſſationes, ludi, laſcivi geſtus, obſcœnitateſque cordi huic fuerant priùs: nec quem ſine iſtis fœlicem eſſe poſſe autumabat, vix verò præter ſeipſum, alium quempiam: ubi autem ſalutaris Dei gratia, & probum hunc reddidit, & prudentem, quàm faſtidiosè deſpicit hic inſulſas carnalis ſuæ condicionis fœlicitates? delectationes nunc alias magis viriles, imò divinas magis, perſentiſcit; miraturq; potuiſſe ſe olim juvenem, vanis hiſce voluptatum blandimentis abripi: Ita ſe plærunq; habent voluptates, prout æſtimantur; Quod huic volupe eſt, cordolio eſt illi; Sola ſpiritualia ac cœleſtia, firmâ ſolidâq; contẽtatione & ſtabilire animum poſſunt, & ſatiare; Tu ſolus, ô Deus mi, capax non es, aut emendationis cujuſcunque, aut mutationis; Liceat mihi te uno frui, miſerebor ego ſeriò infœliciſſimæ illorum, qui te carent, inſtabilitatis: certuſque ero ſemper conſtantiſſimæ beatitudinis.

Ad

XLI.

Ad conſpectum aranea telam ſuam exordientis.

QVàm meritò admirari ſolemus curioſas nimis animalculi hujuſce operas? Quàm tenue filum eſt quod educit, protrahitque? Qualis hæc quam texit, tela? Ipſa tamen beſtiola mortifero veneno plena; Toxici eſſe poteſt plurimum ubi multum eſt artis; ſimilis planè huic doctus eſt, ingenioſuſque hæreticus; acutiſſimi fortè conceptus, verba acutiſſima excidere illi poſſunt, quæ tamen venditat dogmata, ſecretique doctrinæ apices, periculoſi, læthaleſque planè ſunt; Annon inſaniret ille planiſſimè, quiſquis eſſet, qui ex eo quòd miro telæ hujus artificio plurimùm delectatur, opificem araneolam, vel manu tractare, vel ore manducare diſcuperet; Pariter deſiperemus & nos, ſi dum falſi doctoris artem quamcunque mirabundi ſuſpicimus; aut ipſum authorem deperire, aut ſcripta illius familiariter pertractare non vereremur; Tuti profecto eſſe non poſſumus, ſive judicia noſtra ſpectemus, ſive affectus, abſque prudenti quadam rerum, ac perſonarum diſcriminatione; ſine qua fieri ſanè non poteſt, quin & Deo injurii ſimus, & nobis ipſis: Deo quidem, niſi egregias illas dotes quibus creaturas ornavit ſuas, libenter agnoſcamus,

camus; nobis, ſi, dum præcellentes illarum facultates approbamus, unà etiam vitia quæque perniciosſima imbibamus.

XLII.

Conſpecto morione quodam.

O Deus, unde fit quod ego talis non ſim? Quid fecit iſte homo, quod tu illi intellectum negaveris; aut quid feci ego quod modum ejus ſaltem aliquem mihi indulſeris?

Quid inter nos diſcriminis eſt, præter tuam ſolius bonitatem, qui mihi largitus es quod mereri nullus poteram; illique denegaveris, quod nullà potuerat ratione vendicare.

Seu dare, ſeu detinere etiam, tui ſolius, ô Domine, beneplaciti eſt; Neque aliter ſe habet, in re gratiæ; Irregenitus quiſque merus eſt morio ſpiritualis; nec quis præter renatum verè ſapit; Vnde fit, quòd cum alium aſpiciam vanitate, pravitateque naturæ ſuæ prorſus infatuatum, ipſe interim cognitionem Dei, magnorumque ſalutis myſteriorum fuerim aſſecutus, didicerimque ab illis peccatis, quæ peſſimo hominum malorum appetitui perplacere ſolent, penitus abhorrere? Quis me tandem diſcrevit?

Nihil quicquam præter tuam unius liberrimam miſerecordiam, O Deus; Quorſum ego aliàs,

aliàs, homo ſum, non brutum? quorſum rectè formatus, & non monſtrum potiùs? quare corpore integro, non mancus? quare ſenſibus ac judicio præditus, non fatuus? quare probè affectus, non deſtitutus gratiâ? quare vas honoris, non iræ? Si quid in me non mali ſit, tuum eſt, ó Domine; Tu tibi laudem habe ac gratias, da mihi interim gratitudinem.

XLIII.

Viſo magnete & gagate.

VT ad humanæ ſocietatis conſervationem civile quoddam eſt inter homines commercium, ita & naturale commercii genus inter creaturas reliquas ordinavit Deus, ad communem conſervationem univerſi; vix quicquam in rerum naturâ eſt, quod non nativâ quadam alterius cujuſpiam attrahendi potentiâ imbuatur. Ignis vapores ad ſe trahit, Sol ignem; humiditatem attrahunt plantæ, Luna mare; purgativa quæque proprios ſibi attrahunt humores; naturalis quidam inſtinctus ſenſitiva quæque inclinat ad amorem ambitumq; generis ſui; quin etiam in ipſis imperfectè miſtis hoc uſuvenire quotidiè experimur; adeò ut, vel lapides ac metalla, quæ ſenſu omni carent, activâ tamen hac virtute neutiquam carere facilè intelligamus. Magnes ferrum attrahit; gagates, ne nihil attrahere videretur, paleam

paleam ac pulverem allicit. Quanto verò impetu, lapidum istorum uterque in proprium sibi quisq; objectum operatur? Quicquamne aut gravius est, aut motui minùs aptum, quam chalybs; aut ferrum? Ita tamen ista ad dilectum sibi magnetem accurrunt, quasi quendam haberent desiderii, delectationisque sensum; atque ita extremo illius punctulo arctè adhærent, ac si ponderis sui oblita fuissent, præ contactus hujusce voluptate; Quicquamne dissipationi aptius, quam palea ac pulvisculus? ita tamen ista ad gagatem colliguntur, atque ita illi palàm adsilire cernuntur, quasi ambitione quadam provectionis hujusce ducerentur. In duobus hisce videor mihi videre justum emblema cordis humani; virtutisque spiritualis, ejusdem utrinq; attractivæ. Spiritus sancti gratia instar veri magnetis, adamantisve, ferrea hominum pectora ad se trahit; firmâq; quadam sanctarum cogitationum, bonarumq; actionum constantiâ retinet; Mundus, ad instar Gagatis, carnalia levium, ac vanorum hominum corda ad se attrahit; vitiosisq; peccatorum delinimentis sibi retentat. Tuus sum, ô Deus, esto tu magnes meus: Trahe me, & ego post te curram; aduni cor meum tibi, ut reverear nomen tuum.

Ad

XLIIII.

Ad concentum muſicum nocturnum.

QVàm ſuaviter intempeſta hac nocte ſonat concentus iſte? De die, ſic aurem afficere nec ſolet, nec poteſt quidem: Harmonici omnes ſoni, lenti noctis caligine longè jucundiores haberi ſolent; ſic ſe planè habet cum læto ſalutis nuncio: Nunquam ita ſuaviter ſonat Evangelium, ac obſcuriſſima vel perſecutionum publicarum, vel propriæ afflictionis nocte.; Illud ſemper idem eſt, in noſtrâ, qui tantum beneficium recipimus, diſpoſitione, unicum diſcrimen eſt; O mi Deus, cujus ſumma laus eſt dare cantica de nocte; proſperas res meas facito pias & ſanctas, adverſas verò alacres.

XLV.

Ad conſpectum tritici ventilati.

VBi ventilatur triticum hoc, granorum maximum ac ſolidiſſimum ſemper imum petere video, leviſſimum quodque ſuperiorem locum ſortiri; In re morum pariter ſe habet; pleniſſimi gratiæ, humillimi plerunque ſunt; & ii ſæpenumerò maximè omnium conſpicui

ſunt,

sunt, quibus minimum suppetit : obscuritatem quandam, dejectionemque, aut ambire, aut simulare sordidum est, & suspicione plenissimum ; Ille verò, cujus modestia mediocrem suis se oculis exhibet, humilem alienis, plerunque virtutum omniũ intimè ditissimus est ; humilis mihi plenitudo sit potiùs, quam elatio vacua.

XLVI.

De herbis exiccatis.

HErbas illas aiunt servari commodissimè, longiusque & colorem, & saporem retinere, quæ sub umbrâ paulatim arefiunt, quam quæ subito sive solis sive ignis calore exiccantur, torrenturque. Firmiora sunt ingenia illa, diutiusque duratura, quæ lentâ quadam educatione obscurè instituuntur; Tempus & facilis quædam studiorum constantia ad maturitatem perducunt longè meliùs, quàm subitus laborum impetus; In spirituali condicione nostrâ, idem planè usu venit; Affectata quædam lentitudo parùm periculosior est, quam nimia perfectionis acceleratio : ubi me momentis singulis ad spei meæ terminum tantò magis appropinquare sentiero, non est quòd præcipitare discupiam.

XLVII.

Audito ferri extincti stridore.

AVdi modò quàm ferrum illud aqua extinctum canorè sibilat, stridoremque illum edit, quem frigidum priùs, siccumque facere non potuerat; Fervidos, inordinatosque appetitus adolescentiæ absque querulo quodam murmure, rebellique oppositione, extinguere non possumus. Debellari non possunt vitia nostra absque reluctatione valida; nec tumultu aliquo vacare potest illa reluctatio; post tantillum soni, fumi, ebullitionisque quiescit metallum hoc, formamque, in quam fabri ictibus redigitur, usque servat. Quorsum ægrè mihi foret, ô Deus, quòd sentiam pios conatus meos, pro minimo mutationis meæ spatiolo, repugnantiam quandam pati; quandoquidem certus sim, seditionem hanc in fælicissimâ pace deinceps desituram.

XLVIII.

Visis muscis quibusdam pulchrè coloratis quas cantharidas appellare solemus.

QVàm pulchra colorum mistura in musca hac cernitur? nullâ tamen, uti aiunt, in toto

to muſcarum genere æquè venenoſa eſt: ita ut vel extimo manus contactu interna corporis viſcera corrodat. Non eſt quod aut coloribus fidamus, aut formis; Illorum quidem præſtantiam ita licet admirari, ut venuſtate non faſcinemur interim; Humilis ſimplicitas minùs præ ſe fert, minus tamen habet periculi; Cedo mihi internam virtutem utilitatemque; externum gloriæ ſplendorem curent alii.

XLIX.

Conſpectâ noctilucâ vel cicindelâ.

QValis lucerna, frigidiuſcula quidem illa, in corpore vermiculi hujus accenditur? Non aliâ opus eſt illorum confutatione, qui nullum omnino lumen abſque calore aliquo eſſe arbitrantur; Certè tamen externus calor, gelidum hoc lumen reddit illuſtrius: Nuſquam vidi ego nitedularum iſtarum aliquam, niſi æſtivis, calidioribus ſcilicet menſibus reſplendentem; frigidis anni tempeſtatibus, ubi & obſcuriores, & longiores, & triſtiores ſunt noctes, nullæ aut ſunt, aut certè apparent ſaltem:

Ita faciunt hypocritæ Chriſtiani; fervidis lucidiſque liberæ, approbatæque profeſſionis temporibus, nemo illis lucet magis; tempeſtatibus verò duris, triſtibuſque, ſive interdictionis, ſive perſecutionis publicæ, ſimulata horum lux omnis, aut periit, aut certè latuit; Vbi ve-

ri quique professores, aut, instar solis æquè semper lucent, aut, stellarum instar, gelidissimis noctibus maximè resplendent scintillantque; Noctilucæ hujusce lumen speciem quandam præ se fert, usui inservit nulli: Lux omnis, quæ a calore proficiscitur, communicare se aliis potest, quanquam non sine subjecti, cui inest, diminutione continuâ; Ista verò, neque se absumit, neque alios quicquam adjuvat; Malo nunquam, quàm non semper lucere; nullum habere lumen malo, quàm non aliis, quod habeo, impertire.

L.

Conspecto quodam oculum unum claudente.

VBi collimare aliquò velimus, aut cernere accuratiùs, oculum unum claudimus; Ita & animi oculis facere solemus; ubi fidei oculo exquisitissimè intueri volumus, rationis oculum intereà claudimus; aliter fieri non potest, quin ut visuales radii, qui utrique harum apprehensioni inservire debeant, transuersi sibi incidant, visionisque actum impediant.

Imò dextrum hunc rationis oculum eruam ego potiùs, quàm, ut intercipiendo beatificam Dei mei visionem, offendiculo mihi sit.

Con-

LI.
Conſpecto fonte.

QVantum verò fumum edit fons iſte? Vbi ampliores quique canales gelu conſtricti obrigeſcunt? viva eſt hæc aqua, aliis interim emortuis; Illud nos experientia omnes docet, fontanas aquas, quæ a ſcaturiginibus profundioribus oriuntur, hyeme calidiores ſemper quàm æſtate profluere; Intrinſecum nempe calorem repercutit, duplicatque, frigus externum; Talis eſt verus quiſque Chriſtianus, in die malo.

Illa, quâ imbuitur gratiæ vita, oppugnando vigorem acquirit; neque ita ſanctus fuiſſet iſte, ſi in meliora tempora incidiſſet.

Nolo dicere eum hoc nomine gratias debere inimicis; certe dico, eum pro inimicis gratias debere Deo. O Deus, quid tandem reſtinguere poteſt ignem illum, qui frigore intenditur? Quam ego fœlix ero, ſi quantum mundus livore ac malicia, tantum ego gratia acerevero.

LII.

Visis Culicibus in radiis solaribus ludentibus.

QVanta culicum nubes istic est? vide verò mihi, horum motus omnes; ludunt illi nempe per solis radios, susque, deque volitando, cantillantque; & ubi desierint, sedent, & manum proximam faciemve, in quam incidere contigerit, mordent illicò. Ecce perfectum emblema otii, ac detractionis. Quot sunt, qui ita pessimè horas bonas consumunt? qui, ubi succedentes sibi dies, vanis, inutilibusque ludorum generibus prodegerint, residunt tandem, æquè inertes, detrahuntque proximis. Etiam cantat aliquando apis, sed & laborat quoque assiduè; istæ verò fatuæ muscidulæ ludunt semper, canuntque perperàm. Vel negotiosissimæ quæque, & agillima ingenia necesse habent tantò magis recreari, totos verò se dedere ludis ac voluptatibus, otiosissimorum hominum, eque Epicuri grege, porcorum est. Mordet, stimulatque etiam apis, sed non nisi injuriâ quapiam lacessita; isti sanguinem parùm provocati, eliciunt, & tantùm animi causâ lædunt; non recusârim ego exercitationis genus aliquod, quo me recreem, fiamque labori meo & aptior, & alacrior. Neque non stimulare velim aliquando, ubi sontica me injuria irritaverit;

rit; libera verò me, ô Deus, ab illis hominibus, qui aut nihil, aut male ſemper agere mavolunt.

LIII.

Conſpectis uvarum racemis.

VIde quantum inter uvas haſce diſcrimen eſt; Ibi botrum cernis uvarum, quæ ſe mutuò contingunt, bene maturum; ſolitariæ, quas alibi vides, virides planè duræque manent. Sic & nobiſcum ſe habet; Sancta ſocietas progreſſum noſtrum haud parùm promovet; Væ autem ſoli. Bene illi eſt qui aliorum operâ fit melior, ſed fœlix eſt, is cujus operâ fiunt alii meliores.

LIV.

Viſo agro herbis noxiis malo infeſtato.

QVàm lætâ gauderet ſegete agellus iſte, niſi quòd herbis hiſce noxiis ita nimiùm abundet; non amo colores hoſce cæruleos, rubeos, flavos, ſimplicibus ariſtis interſperſos; Venuſtas hæc alibi mihi placeret magis; Malo iſtic videre arvum minus pulchrum, ferax magis. In agro hoc vivam mundi effigiem video; in quo plus gloriæ, quam ſolidæ virtutis ineſſe comperitur:

ritur; ubi major pars exuperat meliorem; ubi nativa terræ proles adventitiam gratiæ ſobolem longè vincit; ubi paraſiti & inutiles ſcurræ, dominos ſuos & ſpoliant, & aliquando etiam ſupereminent. Et ager & mundus, uti ſimiles apparent, ita ſimiliter creſcunt, deſinuntque ſimiliter; igni meritò adjudicatur uterq;; dum ſimplices, ſolidæque, contemptæ virtutis ariſtæ, in horreis immortalitatis reponuntur.

LV.

Conſpectu Tulipæ, Calendulæ, heliotropio in horto ſuo.

VEri clientes ſolis ſunt iſti flores; quam ſtudiosè obſervant & motum illius, & influxum; ſub veſperam clauduntur ſtatim, quaſi lugentes diſceſſum illius, ſine quo neque poſſint, neque velint quidem efflorescere. Manè vero reditui ipſius alacri quadam foliorum extenſione gratulantur; meridie autem, velut liberrimè ejus bonitatem faſſi, quàm maximè dilatantur; Cor pium ſic planè facit Deo; Avertiſti faciem tuam, & turbabar, inquit ille qui Deo cordi erat; E contrà; In præſentia tui vita eſt, imò plenitudo gaudii; Sed & cor carneum ſic facit ſeculo; illo quippe favorem ſubtrahente, dejicitur; renidente demùm, reviviſcit. Plurimùm ergo intereſt, in quo noſtra ſe figit electio.

Sol

Sol noſter, quicquid id eſt, nos ad ſe attrahet: O Deus, ſis tu mihi quod in te ipſo es: ſcilicet eris tu me trahendo miſerecors, ego te ſequendo, fœlix ero.

LVI.

Audito campanæ fractæ ſono.

QVàm ingratum horridumque ſonitum edit campana hæc, cuivis auri? Metallum ſatis purum eſt; ſola fiſſura eſt quæ raucum hoc & diſcors ſonat; Quàm ſimilis eſt campanula hæc infami, & improbo Doctori; Munus illius reverendum eſt, ſatis ſonora vox ei; ſcandalum quod ab impurâ ejus vitâ oritur, doctrinæ fructum omnem deſtruit, & corrumpit, offenditque aures illas, quæ, abſque hoc foret, concionibus ipſius caperentur; Fieri fortè poteſt, ut hic talis, vel diſſono illo ſtridore, ad triumphantem in cœlis eccleſiam vocet, colligatq; alios; nullum verò ipſi remedium manet, præter ignem, ſive reformando homini, ſive deſtruendo.

LVII.

Viso cæco quodam.

QVantum debeo ego Deo meo, qui mihi oculos dederit; quibus hunc hominem & oculis carere videam; & carendo miserum; Quam suspitiosè, quam meticulosè incedit ille? Quam solicitè, & manu & baculo examinat sibi viam? quam anxiè timidèque morsiunculam omnem, hausiusque guttulam recipit; sæpè tamen aut posti alicui eundo obviat, aut ad lapidem impingit, aut muscam bibendo absorbet.

Non aliter se huic habet mundus, quàm si omnino non esset; aut acsi totus esset offendicula, retia, præcipitia; quòd si quis illi manum commodare velit; huic (quantumvis perfido) duci credat necesse est; absque omni quidem miseriæ allevamento, excepto uno hoc, quod perire se nequeat videre. Plærique sic spiritualiter cæci sunt, & quia sic se habent, parùm discernunt; non discernentes autem de tam miserâ condicione, nulli conqueruntur. Deus hujus sæculi excæcavit oculos infidelibus, & immorigeris; Ambulant illi in viis æternæ mortis, atque ei se ducendos committunt qui nihil aliud præter ipsorum in infernum præcipitationem, quærit.

Ad

LVIII.

Ad conſpectum fagi feraciſſimæ.

QVàm frugifera, hoc anno, eſt iſta arbor? non ita ſuperiore onuſta fuit; neq; ſic erit ſine dubio, proximè futuro. Ille mos harum arborum prodigarum eſt; ita ſe totas in fructum unà effundere, ut ſteriles poſtmodò, & avaræ videantur. Ita vidi ego prægnantia quædam ingenia (quibus juſta, prudenſque ſibi moderandi cura defuit) ſic ſe tota in elaborato aliquo opere prodigere, ut aut parùm deinceps feracia, aut in aliis ommbus egena, & elanguida viſa fuerint. Vera ſapientia uti ſucco attrahendo, cum nutrimenti, tùm fœcunditatis cauſâ, inſervit, ita regit ejuſdem tempeſtivam, moderatamque diſpenſationem; ut ſatura nimis non ſit tempeſtas hæc, dum illâ famelica eſt; Id mihi curæ erit eam aſſequi menſuram, temperiemque; ut quicquid tandem evenerit, ſat mihi ſemper ſuppetat, nunquàm verò nimium.

Ad

LIX.

Ad conſpectum nummi in aquam injecti.

NOn malè forſan avaro optarem, ſi quiequid illi nummorum eſt profundo flumini devoverem: nec quod pavimentum gurgiti illi aptius; nec quòd fortè ſpectaculum, inexplebili illius deſiderio accomodatius foret; ſinguli enim ibi nummi duplices viderentur; drachmæ nimirum omnes totidem ſolidi; ſcutorum verò lilia, totidem Angeli apparerent. Elemento nempe huic innatum hoc eſt, augere, quoad externam ſpeciem, quantitatem quamlibet; dum mediante tenuiore hoc aëre ſolidum illud corpus perſpiciendo penetramus, non poteſt quicquam nobis aliud repræſentari.

Neque ſe habet aliter in ſpiritualibus ſive oculis, ſive objectis; ſi carneis oculis per interpoſitum, concupiſcentiæ medium proſpicimus, vilis quæque & frivola voluptas, largam quandam perfectamq; animi contentationem mentietur; ſi debilibus oculis minutulos penèque ἀδιαφόρους veritatum apices a longè contueamur, (præſertim verò vbi apprehenſionis noſtræ medium variatur) unaquæque particula, & maximæ videbitur, & rei religionis haud parùm neceſſaria; hinc fit inutiles quaſque ſacrarum genealogiarum minutias ſcholaſticaſq;

omnes.

omnes in Theologicis disquisitionibus, subtilitates, inter summa fidei capita annumerari; veræ prudentiæ magna laus est, posse videre res ut sunt, & ut sic videntur, appreciari. Operam ego sedulò dederim, illam assequi judicii vim, firmitudinemque, ut neque sensus mei animum decipiant, neque objecta sensum fallant.

LX.

Accepto rumore terræmotus Limensis; a quo sylva quædam, casu duorum montium absorpta, quasiq; sepulta fuit.

BOne Deus! unde nosse possumus, quando, ac ubi in tuto simus? In sylvâ hâc, seu bestiæ, seu homines siqui erant, quàm se non minus securos putabant, quàm nos nunc istic sumus? Supra se nil nisi cœlum, infra se nil nisi terram firmissimam videre potuerunt; & tamen, quàm horrendâ subitò decipulâ deprehensi periere? Divinæ manus effugium nullum uspiam est; *A* què suspicatus fuisset quis cœlú ruiturum, ac illos montes; Non est quod nobis placeamus improbabili judiciorum divinorum eventu; sæpè quidem audivimus vidimusque montes sylvis coopertos, sylvas

verò

verò, montibus coopertas nusquam antehac accepimus; Qui sylvas illas plantarunt, severuntve, igne aliquando absumendas fore arbitrabantur; Ecce Deus terrâ absorbendas judicavit.

Impossibilia quæque solemus occursu montium describere; & ecce istic montes duo convenerunt, vallem deglutiendo.

Quam beneficus Deus est, cujus providentia casus istos omnes regit, disponitque?

Oppida, urbesve, æquè facile sic sepeliri potuissent, atque vallis solitaria, ac fruticosa sylva; Certè quidem, ille, qui hoc fecit, Deus, eventus hujus usum longiùs, quam sonitum, dilatari volunt; fecit hoc ut doceret quid & ille posset, & nos meriti; si corda nostra sensu quodam reverendo infinitæ ejus potentiæ, terribiliumque judiciorum metu, non minus tremant, discindanturque, quam terra hæc, quid mirum exempla nos fieri aliis, qui aliorum exemplis moveri usque detrectavimus.

LXI.

Ad conspectum gliris.

QVam minimo sumptu vivunt hæc animalcula quæ solo somno, pascuntur? Ita & ursos, & erinaceos aiunt, hyemem totam deterere; ac surgere pinguiores quam decubuerant; Quoties invidi ego saginatrici harum bestiarum

bestiarum somnolentiæ, ubi cogitationum labor assiduus somnum mihi omnem ademerit, neque per horulæ unius momentum quiescere permiserit, languescentemque novo deinde pensо addixerit: Attamen ubi hanc utriusque condicionem probè appenderim fatebor equidem lubens, malo labore deteri, quàm pinguescere otio: Malo vitam utiliter operosam, quam inutiliter segnem, delicatamque. Nescio an verè possim dicere animalia illa vel vivere quidem, quæ nihil agunt; quandoquidem nos vitam motu definire soleamus. Certè illorum vita parùm vitalis est. Quod ad me, malim ego profectò conqueri de animo quiescere nescio, quam de corpore laboris impatiente.

LXII.

Visis apibus secum pugnantibus.

QVàm mihi dolet videre utiles hasce & industrias creaturas, in se mutuò tam furiosè involantes; seque, vel in ipso præsepiorum ingressu stimulantes invicem, interficientesq; Id mihi cordi foret aspicere, apes hasce idem fucis facere, ac vespis, communis utilitatis hostibus notissimis; Iustitiam hoc sapit ilicet; videre verò apes has secum met ipsis dimicantes, non potest non esse molestum domino suo; qui quæcunque demum vicerint, cives perdat necesse est; Perfectior nulla potest esse reipublicæ,

licæ, sive civilis, sive sacræ imago quam in istis apum præsepibus: Apes operosi sunt, honestique concives; sedulò collaborantes, ceræ ac melli ad communis rei sustentationem importandis; vespæ, ac fuci inutiles sunt & improbuli scurræ, qui alienorum laborum spoliis victitare solent; sive ut vitilitigatores, sive fures, sive edaces parasiti proximos quosque despoliantur; Vbi justitiæ aciem sentiunt isti, tempestivasque pœnas sic luunt, ut nihil deinceps mali perpetrent, fœlix profectò spectaculum est; Videre autem bene affectos, fidosque subditos duellis, sive forensibus, sive Mavortiis, decertantes; Videre Christianos fidei ejusdem professores, mutuum sibi sanguinem religionis causâ crudeliter profundentes, triste & horrendum quiddam est, & prodigii plenissimum; eoq; magis, quo plura, ac cõmodiora & rationis, & gratiæ media nobis, cùm componendis litibus, tùm corrigendis vitiosis contentionum studiis, suppetunt; O Deus, qui unâ & Dominus exercituum, & princeps pacis audis, bellum cum vitiis, cum fratribus pacem indulge.

LXIII.

Conspectis vespis, in vitrum melle illitum decidentibus.

VIde modò vitream illam, ore angusto, phialam, quam proximè præsepio illi collocatam;

catã; quam ſtudiosè convolant illò veſpæ, dulcis illius, quo ineſcatur, liquoris odore attractæ, deciduntq; illicò a lubrico hoc præcipitio, in decipulam illam aqueam, nunquam deinceps evaſuræ; ibique poſt paulum vanilaboris, ac laſſitudinis, ſuffocantur ſtatim, & intereunt; Nullam vides apicularum illò reſpectantem, illæ rectà ad ſuum præſepe volant, ſuavem illam eſcam ne notantes quidem: Otioſæ malèque feriatæ animæ, omnibus tentationibus facilè diſtrahuntur; & otii illis ſat eſt, & arbitrii, omnes peccatorum illecebras lubenter excipere; ſuaſque vitioſas libidines proſequi petulantiùs; donec in perniciem omnino irrecuperabilem inciderint: Vbi diligens laborioſuſque Chriſtianus, qui honeſtæ vocationis operibus jugiter ſanctèque incumbit, ab omni lethalium illiciorum periculo immunis eſt; ac mel veri ſolaminis in duram mali hyemem prudens reponit.

Fœlix is eſt cui non videre modo liceat laboris ſui ſucceſſum, ſed & illo frui; quicquid tamen contigerit, hoc certò ſane conſtat; ſi labor noſter non poſſit bonum quod volumus, adipiſci, malum certè quod vitare cupimus, prævortet.

LXIV.

Viso fonticulo e loco quodam deserto ebulliente.

ECce veram imaginem beneficentiæ; Quàm claræ, purèque chrystallinæ sunt hæ undæ; quàmque largiter effluunt; & suavi quodam murmure in vallem festinant; hominem tamen nullum interea vides, imo ne brutum quidem, quod puræ illius, saluberrimæque lymphæ particeps esse possit; Satis est, obvio cuique patere laticem hunc, ita ut haurire possit qui volet, liberè; Sic munifici patres familias quotidianum semper dimensum apparant, adsint, absintve hospitès, sic concionatores pii, vivas salutaris doctrinæ aquas ubertim profundunt, sive auditores sacrosanctæ salutis media participare malint, sive tantos conatus negligant; Licet hoc nobis solatio sit, non fuisse harum cœlestium aquarum deparcos; harum verò beneficii, ac usus, rationem reddat mundus.

Con-

LXV.

Conſpecto bubone.

QVàm miſerè triſtem acmelancholicam xitam agit iſte ales? qui tota die hederæ denſioris tegmine caput ſuum occulit, de nocte verò, cum quieſcunt volucres reliquæ, evolat, ſtridulaſque & ingratas voces edit.

Neſcio equidem quorſum prudentiæ hunc alitem olim ſacrarint veteres, niſi ob tutam forſan obſcuritatem, perſpicacitatemque ſingularem; quòd cum animalium reliqua, domeſtica & aërea, prorſus cæcutiant, bubo ſolus, interno quodam fretus lumine, vel minima quæque, in rem ſuam objecta conſpiciatur. Iſtoc nempe ſapientiæ illi nos, hujus exemplo docuerunt, prudentiſſimum eſſe cum, cui minimum eſt cum vulgo negotii; nullam adeo tutam eſſe vitam, ac quæ obſcurè traducitur; ſeceſſionem etſi minus fortè ſolatii, minùs tamen periculi, vexationiſque nobis præſtare; Denique illum verè ſapere, qui ſuo cernit lumine, cùm mundus reliquus in confuſis quibuſdam inſcitiæ tenebris uſque reſideat; nec niſi externæ illuminationis adminiculo, veritatis quicquam diſcernere unquam poſſit.

Si de die prodiiſſet hic ales, quam iſtuc illico collectæ aviculæ omnes, admirabundæ, illum cinxiſſent; quaſi vultus deformitatem, vociſq;

aſperitatem

asperitatem unanimes haud parùm stuperent; nihilo sibi tamen minùs perplacet illi sua condicio, neque minus is sibi quietam delitescentiam gratulatur; Non est quod vir prudens, imperiti, rudisque vulgi censuris nimiùm afficiatur; potius verò suis ipsius bene fundatis firmatisque determinationibus usque adhærescat; Quid fieri soleat nemo non fatuus novit, quid debeat fieri, soli sapienti innotescit.

LXVI.

De brachio obstupescente.

QVàm obstupet mihi pro tempore brachiũ quo innixus sum diutulè, ferèq; insensibile fit; Aliis certè a me destinatum officiis, nunquam mihi defuit; nunc verò ubi me illi reposuerim, causam querendi justam sentio. Non est quod brachio cuiquam carneo fidamus; Quicquid fuerit, in quo nos illi recumbendum censebimus, comperiemus tandem fiduciam hanc dolore, spesque frustratione desituram. O Deus, forte, ac potens est brachium tuum, in illud reclinant creaturæ tuæ omnes, tutòque ac fœliciter usque sustentantur. O, si nos parùm capaciores essemus diffidentiæ, quam manus tua omnipotens, defatigationis, subductionisq;

Visa

LXVII.
Visa scintilla sursum volante.

VIva illa est quæ apud Iobum occurrit similitudo, hominis ad laborem nati, scintillæque ad sursum evolandum; Naturalis nempe est ille scintillarum motus, idemtidem & homini labor; mens illi creatur activa, & ratiocinationi alicui apta, membra omnia motui cuidam accommodata; nervi, motus adminicula, concessi; sed & omnes vitæ suæ rationes, illum ad actionem aliquam evocant, & solicitant; Ita ut otiosus homo non magis gratiâ destituatur, quàm ab ipsâ natura degenerat; Certè quidem in primâ ignis accensione, scintillæ forsan aliquæ, flabellorum impulsu, hâc, illâc, susque, deque volitare solent; sic etiam in primordiis fertè ætatis nostræ, rudique adolescentiâ, juvenilis quædam vanitas nos ad motus inordinatos irregulatesque incitaverit; sed ubi deferbuerint illæ ardentiores adolescentiæ flammæ, & nos quandam dispositionis stabilitatem fuerimus assecuti, jam sursum volant scintillæ nostræ, vitaq; nostra totus labor est; Et quare non id nos facimus cui creatione destinamur? Cur non detrectaverit nobis potius vitam Deus, quam nos Deo opus? Nostris profectò ingratiis laboramus, si necessitate impulsi id facimus: obedientiâ tui, O Deus, permotus, aliquid semper agere velim; Nec me quicquam

quicquam ſolabitur unquam labor meus, ſi mihi ipſi potius, proviſioni inſerviérit, quàm tibi, ſacrificio.

LXVIII.

Corvo conſpecto.

NOn poſſum ego unquam alitem hunc adſpicere quin ſtatim & liam cogitem; miraculumque, non minus fidei ipſius, quam alimoniæ ſtupeam.

Fortis illa quidem, ſtabiliſque fiducia fuit, quæ ipſum in remotam divexit ſolitudinem, ut a corvis alimentum expectaret; Rapax eſt, ut nos probè novimus, iſte ales; vix ſibi ſufficit, quod alicunde poterit deprædari; ſed & ipſa ratio non potuerat non prophetæ ſuggerere, quantæ in arido quodam remotoque deſerto deliciæ forent panis, ac carnes; ſecedit tamen ille, etiam ab hoc œconomo cibum præſtolaturus. Noverat is volucrem hanc non magis voracem, quam immundam: Immundam quidem, uti lege, ita etiam paſtus ſui ratione; nam, quo tandem niſi fœtidiſſimis veſcitur cadaveribus? Cum tamen Deus hunc illi obſonatorem ordinaverit, non faſtidioſè nauſeat quidem, ſed mirâ animi confidentiâ inſolitam illam cibi apparationem expectat; proque fiduciâ ſuâ, illi parum idonei obſonatores panem & carnem mane, veſpere panem & carnem conſtantiſſime apportant.

Nec

Nec quis famelicorum horum corvorum, vel unum ciborum illorum fruſtulum, qui melliori deſtinati ſunt palato, deglutire potuit; Citiùs defecit Cherith fluvius, quàm officioſum iſtorum obſequium. Eliæ proculdubiò appetitus ſæpiuſculè incurioſam hanc dietam antevorterat; ubi ille, e ſpeluncæ ſuæ limine, avidis, curioſiſque oculis obſervaverat, e quâ tandem cœli plagâ, prodigioſi iſti miniſtri devolarent; advenientesque à longè conſpicatus, grato animo, miram Dei ſui bonitatem, veritatemque recoluerat, pluſque ſua fide, quàm cibo nutriebatur. O Deus, quàm infinita eſt providentia, ſapientia, potentia tua? Nos, miſellæ creaturæ tuæ, non id ſumus quod exiſtimus, ſed quod tu nos exiſtere voluiſti; ubi tua res agitur, nihil nobis de noſtro ſuppetit; Indulge mihi fidem, & fac quod voles.

LXIX.

Viſo vermi

QVàm humili loquendi modo exprimit Deus Eccleſiæ ſuæ condicionem, *Nemetue, ô vermis Iacob*; nullus non pes eſt quin deſpicatiſſimam illam creaturam calcare ſoleat; Dum intra frigidas obſcuraſque terræ cellulas (in quibus delituerat,) ſeſe contineret, tutò, quia ſecretè, habitaverat; nunc verò, cum ex abditis illis cavernulis, ſe exeruerit ſemel, luminiq;

minique ſolari ſeſe audacter præſentaverit, oculiſque ſimul tranſeuntium; quàm radiis hiſce fervidioribus torretur illicò; hàc ac illàc ſe torquet, miſerè cruciata, quò ſe ſubducat neſcia; quàm palàm, & volucribus cœli, & hominum, beſtiarumque pedibus obnoxia. Qui tale fecit animalculum hoc, ſicque appellare voluit eccleſiam ſuam, bene norat condicionis utriuſque analogiam. Quam deſpicit, contemnitq; mundus puſillum illum gregem, cujus tutamen maximum fuit ſemper obſcuritas? Sicubi vero unquam contemptiſſima hæc bonorum paucitas, mundo ſe exhibere auſa fuerit, quàm ſtatim toſta, quàm calcata, quàm omni perſecutionum genere accepta fuit? O Servator, non aliter quidem ſponſæ tuæ quam ipſi tibi factum ſentio; Par ut illi ſores, tu de te dixiſti ipſe, *Vermis ſum, non homo*; Talis in illa terrenæ humiliationis condicione fuiſti, talis eſſe voluiſti; Sed, uti verum verbum illud eſt, qui fecit in cœlo Angelos, etiam in terra feciſſe vermiculos; ita non minùs etiam verum eſt, qui ſe & Eccleſiam ſuam vermes fecit, ſuper terram, naturam utique noſtram, ſibi adſumptam ſuper omnes Angelos elevâſſe; perſonamque noſtram, eccleſiæ ſuæ membra, paulo minùs Angelis honorâſſe: parùm refert quid nobis fiat in hac valle lachrymarum, dum certiſſimus, pauxillum hoc miſeriæ, æterno cœleſtis gloriæ pondere compenſandum.

Se

LXX.
Se induendo.

QVàm miſella res homo foret, niſi id quod ipſi bene eſt, aliis creaturis deberet; Terra, & linum tergo ſuppeditat, & ventri panem; communia veſtimenta beſtiæ, ſuperbiora bombyces; viſcera dorſumque terræ, metalla, fomitemque: piſces, volucres, animalia reliqua, alimentum ſubminiſtrant; Ingenium quidem illius novit hæc omnia ad ſuum uſum convertere; materiem verò, niſi ipſa porrigerent, actum de homine eſſet: Et tamen nos fatui, admiratione noſtri impotenter efferimur, imò viliſſimorum animalculorum exuviis ſuperbimus; Nec quod horum eſt æquè quod noſtri indigeat; Imò potiùs fruerentur illa ſeſe, eò magis, ſi homo non eſſet.

O Deus, quantò magis egeſtatē noſtram perſentiſcimus, tantò magis ἀυτάρκειαν tuam admiremur; ambiamuſque fœlicem illam conditionem, in quâ, tu, qui totus perfectio es, omnia in omnibus es nobis aliquando futurus.

LXXI.

Conſpectâ Bibliothecâ inſtructiſſima.

QVantus ingenii, & eruditionis mundus iſtic congeritur? Neſcio certè, pluſne mihi animi adimat, addatve ſpectaculum hoc: Adimit quidem, quod tam multa hic ſint, quæ ego ſcire nullus unquàm potero; addit verò, quòd varietas hæc tanta, tam accommoda mihi adminicula ſuppeditet, ea quæ debeo, cognoſcendi; Nihil verius eſt illo Salomonis; Librorum conficiendorum finis nullus eſt; Etiam ſpectaculum iſtoc luculento indicio eſt; Finis nullus eſt, imo nec eſſe debet quidem; Operoſam, agilemque animam indulſit homini Deus, cujus aſſiduæ agitationes, non poſſunt non multas obſtetricante interim tempore, & experientiâ, abſtruſas veritates in lucem producere; iſtas, ſi quis ſupprimere, ac ſuffocare vellet, næ ille humano generi (cujus mens mutuo lumine accendi uſque ſolet) haud parùm injurius foret; E diuturnâ deliberatione, & ſtudio ortæ cogitationes, accuratiſſimæ omnium ſint oportet; has ſcilicet chartis committimus; Quantæ fœlicitatis eſt, poſſe me heic, abſque omni necromanticæ vitio, quemlibet priſcorum Heroûm, doctrinæ ſive humanæ, ſive divinæ, ſtatim evocare, cumque illis dubia mea omnia liberrimè communicare; poſſe pro libi-

to

to totas reverendorum patrum acutiſſimorumque doctorum Synodos ab omnibus terræ plagis, ſuffragia ſua mihi de arduis quibuſque ſubortis quæſtionibus, non temera illa quidem ſed maturè digeſta laturas, convocare; Neque vel caſu oculos conjicere poſſum in tacitorum iſtorum præceptorum quempiam, quin aliquid addiſcam illicò; De copiâ verò conqueri, deficati eſt, nauſeantiſque animi; Nulla nos lex jubet omnes perlegere; quantò vero plures imbiberimus, digeſſerimuſque, tanto certè magis creſcat, pingueſcatque animus neceſſe eſt.

Benedictus ſit Deus, qui tot claras lampades in Eccleſia ſua accenderit; Nemo nunc niſi qui cæcutit volens, tenebras cauſari poteſt.

Benedicta ſit etiam fidelium ipſius ſervorum memoria, qui tantum ſudoris, ſanguinis, ſpirituumque, animarum denique, in pretioſiſſimis hiſce chartis reliquerint, ſeque lubentes in duratura hæc monumenta profuderint, ut aliis prælucerent.

LXXII.

Visâ cruce rubeâ, peſtis inſigni; foribus appictâ.

O Signum plane dirum, ac horrendum. Morbus iſte vera crux eſt, eaque profecto

ſanguinea; & forma, & color ipſe mortem præ ſe ferunt: Iſraelitarum fores, quarum ſuperliminaria ſanguine conſperſa ſunt, ab interfectore Angelo tutæ, ac immunes erant: Ecce iſtic, deſtruens Angelus percuſſit, & tam læthalis plagæ ſtigma poſt ſe reliquit; Sub hoc ſigno ſolemus alibi pugnare alacres, victoriamque reportare; quare ita nunc iſtud horremus domi? O Deus, tu pro nobis alibi pugnas, hîc, contra nos; Sub illo, nos pro te dimicavimus, ſub hoc verò (quoniam peccata noſtra contra nos dimicarunt) judiciis tuis oppugnamur.

Et tamen, O Deus, crux tua eſt, quantumlibet gravis; noſtra quidem merito, inflictione verò tua; Domine, afflictionem tuam ſanctifica, tolle iram.

LXXIII.

Ad cœli mutationem; viciſſitudinemq.

NEſcio inſalubriuſne eſſet, cœlum nos unâ ſemper facie contueri; an ſemper variâ; nam, ut continua quædam cœli mutatio valetudinis incertitudinem; ſic & permanens unius temperiei conſtantia, certitudinem invaletudinis neceſſariò producit; Diſſolvit nos humiditas perpetua, perpetuus calor exhalat Spiritus, inflammatve; ſtupefacit frigus; ſiccitas obſtruit, arefacitque; Nec, quoad animi ſtatum aliter ſe habet; ſi cogitationes noſtræ ſemper volatiles,

les, variæ ac inconſtantes forent; nuſquam perfectum aliquem mentis habitum (ſive judicium ſpectemus, ſive diſpoſitionem) aſſequeremur; ſi, e contrà, ſemper fixæ, certè periculum ſine dubio pernicioſi alicujus exceſſus incurreremus; ſemper cogitando, inſaniremus planè; ſemper cogitando ſive cruciatus noſtros, ſive peccata, animum penitùs deſponderemus; ſemper cogitando voluptates, jucunditateſq; in luxurioſam quandam delicatamque molliti-em diſſolveremur; Dubitare ſemper ac metuere, diræ cujuſdam, & internalis ſervitutis eſſet; audere verò ſemper & fauſta quæque certiſſimè ſibi polliceri, periculoſiſſimæ foret præſidentiæ: Horum autem omnium probè temperatæ viciſſitudines, ſanam vividamque animam conſervant, Vtcunque tamen, O Deus, variæ mutationes iſtæ, ſpirituali condicioni meæ apprimè neceſſariæ ſint, faxis ut à te nil niſi ſudum, ac ſerenum ſentiam; Attolle tu mihi lumen vultus tui, ſpirituque tuo libero, animam meam ſemper ſtabilito.

LXXIV.

Conſpectu conjugii ritu publico.

QVàm jucunda, quàmque perfecta exhibetur iſtic Chriſti, ac eccleſiæ conjunctionis, ſimilitudo? Perſonas non moror, inſtitutionem cogito: Neque maritus, neque uxor, jam

in propria potestate sunt; dediderunt sese mutuo alterutri; non modo uxor, vas fragilius, addixit se totam protectioni ac participationi capitis fortioris, potentioriſque; sed & maritus, ita se totum infirmiori conjugi resignavit, ut uxoris imbecillitates, viro; viri autem vires, ac facultates uxori cesserint; Imo, & ipsa illorum caro proprietatem suam commutaverit; uxoris quæ erat, viri est; quæ viri itidem, & uxoris; Imò ipsorum anima spiritusque, respectu mutui affectus, non magis a se invicem, quam a propriis corporibus possunt separari. Sic se habet, O Servator, inter te, & ecclesiam tuam; Nostri non sumus, tui sumus; desponsasti tu nos tibi scilicet veritate, & justitiâ; Quæ nobis facultates, quæ dotes nisi & a te, & in te suppetunt? Et ut audax nostra fiducia sanctaque audacia tuas sibi gratias appropriare præsumit, ita & benignissima miserecordia tua, dignatur te nostris inducere infirmitatibus; Misella ecclesia tua patitur in terra, tu sentis in cœlo, quasique de plagis ipsius conquestus, exclamas, Quare me persequeris; Itidem, & tu non ita tuus es, quin ut & noster interea sis; Tui cruciatus, merita tua, tua obedientia, vita, mors, resurrectio, ascensio, intercessio, gloria, imo & tua beatissima humanitas, & divinitas glorioſissima, virtute juris in te nostri, unioniſq; nobiscum tuæ, ita nostri sunt ut ne mille quidem mundi nostram in te partem redemptitare possint.

O miserecors, & beneficentissime Servator,

ut

ut tu non potes non amare, ac foyere pauperculam hanc indignamque animam, quam tu tibi ipsi desponsasti, ita & indulge mihi reciprocè, gratiam hanc, ut te colam, tibi obediam, spretisque vilibus, vitiosisque procantis mundi blandimentis, me tibi totum, dum hic superero unicè servem; ut te deinceps æternùm fruar postmodum.

LXXV.

Conspecto angue.

NEscio quis nobis ad conspectum serpentis horror oboriatur; Deformiora sunt animalia quædam alia, sed & quædam etiam illis non minùs mortifera; nullum tamen est, quo viso, æquè resilit sanguis noster, obrigetque; unde fieri potest hoc; nisi ex quodam veteris inimicitiæ, instinctu? Percussi olim fuimus in paradiso, venenato hujus aculeo, neque non adhuc sentire possumus lethale illud virus. O nostram tamen fatuitatem; Ipsum serpentis illius corpus nobis nocere non potuerat, absque suggestione peccati; & tamen peccatum diligimus, odimus serpentem.

Quotidie veteris illius serpentis stimulo vulneramur, & non conquerimur; &

aculeus ille tanto magis perimit, quo ſentitur minùs; Eſt aculeus quidam reatus, eſt & aculeus doloris; in illo mortiferum virus eſt, cujus nos quidem ſenſum habemus minimum; in hoc, minùs eſt periculi; Ab ardentibus illis in deſerto ſerpentibus morſos ſe deprehenderunt Iſraelitæ; ſenſuſque doloris eos illicò ad quærendum remedium inſtigavit; Ecce deſertum noſtrum, mundus eſt; &, ut ſtimulus mortis eſt peccatum; ita & ſtimulus peccati, mors; non medelam magis opto, quàm dolorem; ſi ſatis dolere ac queri poſſim, non ſanari quidem non potero; O tu, qui verus es ſerpens ille æneus, palàm in deſerto elevatus, tolle oculos ad te meos, eoſque in te fige; miſerecordia tua & animam meam ſanam faciet, & vel ipſum vulnus, medicinam.

LXXVI.

Viſis monaſterii cujuſdam ruinis.

NOn ita facile dictu eſt quid parietes iſtos olim extruxerit, ac quid modò dejecerit; ipſa nempe dominorum nequitia; unicuique lapidi lingua eſt, quæ nuperorum poſſeſſorum ſuperſtitionem, hypocriſin, otium, luxuriam ſubincuſet. Videor mihi videre in unaquaque harum congerie, majuſculis characteribus inſcriptum; Terram frugiferam ſterilem reddit ob iniquitatem incolentium; Non deſuit fortè aliquod

aliquod in demolitoribus ædium istarum, sacrilegii, in toto quidem negotio hoc justa quædam manus fuit, quæ mutua hominum peccata, ad sanum, salubremque usum redigere noverat : Parùm profectò cogitarant, vel architecti, vel incolæ, tam sumptuosam, commodèque constructam fabricam, adeò citò, violenterque in desertis ruderibus desituram : Non est quòd nos efferamur animo, sed timeamus ; Nullum ita altum tectorium est, nullus paries tam firmus, quem peccatum solò, pulverique æquare non possit ; Esto moles quæpiam tam accuratè fabricata, clausaque, ut ne aërem quidem ipsum admittat, peccatum intromiserit modò, judicium Dei frustrà excludere tentaverit.

Nequicquam profectò stabilitatem ædibus illis pollicebimur, quas nos turpissimæ immunditiæ nostræ & testes, & reas usque fecerimus : Ædificii cujusque firmitudo, non tam materiæ adscribenda est, quam domino ; Fœlix illa casa est quæ honestum sortita est dominum, væ palatio, cui vitiosus obtigit habitator.

LXXVII.

Ad displosionem Bombardæ.

DEus bone, quàm ingeniosi sunt homines, se trucidandis invicem ; quam bellas excogitarunt machinas, quibus se a longè possint

mutuò occidere; atque ita vitam adimere, ut dum phalanges totæ uno ictu profternuntur, nemo norit quis se læserit; Quantum verò honoris in cæde mutuâ collocamus? Illa insignia, quibus superbimus, ejusmodi sunt, quæ aut nos, aut proavi nostri sanguine comparavimus: Gloriæ nostræ monumenta quid aliud sunt, nisi victi, occisique hostis spolia; Vbi e contra tituli omnes divini, miserecordiam sonant, summamque erga genus humanum benignitatem; Deus pater, Creator est hominum, conservatorque; Deus filius, humani generis Servator; Spiritus denique sanctus, consolatorem seipsum indigitat: Væ mihi, cujus imago est quam nos ita ferociter affecti, gestamus, nisi illius, cui verus titulus est, homicida ab initio? Vitam quidem auferre facile est, non ita facile restituere; Cedo mihi hominem, qui rationem adinvenire possit totas hominum cohortes, ab occisione conservandi, sacrum illi erit in Calendario meo, ac rubricatum nomen: Plus veri honoris est in corona civicâ, unius subditi fidelis servati causâ, quàm in laureâ, plurimis devictis hostibus; O Deus, satis illorum hominum est, qui animum in id unum intendunt, ut quæ tu fecisti, destruant; inde tu mihi, excitaque & animum, & operam, ut servare quoquo modo possim, ac redimere peritura; O tu, qui communis es nostrum omnium Servator, indulge mihi & ambitionem, & facultatem, alium aliquem præter meipsum ad salutem perducendi.

Audito

LXXVIII.

Audito campanæ ſono moribundi cujuſdam obitum præmonentis.

QVàm triſtis ac lugubris eſt hæc mortis ſummonitio? Sonus iſte, non aures noſtras ferire debet, ſed pectora; neque modò preces noſtras exigit, ſed apparatum: preces quidem pro deceſſura ſtatim animâ, noſtri verò deceſſus apparatum; Nuſquam profectò æquè precibus indigemus, ac in ultimo hoc certamine, tunc etenim, & nos ferociſſimè aggreditur dirus ille hoſtis, & nos illi reſiſtendo maximè impares ſumus; tunc ita opprimitur natura, ut parùm ſuppetat otii, ſanctos motus aut eliciendi, aut revocandi quidem: Nihil quicquam occurrere poteſt, quod æquè præparationem noſtram requirat, atque pugna hæc ultima: Tota vita noſtra vix ſufficit extremæ huic horæ. Quis ego ſum, aut quò tandem melior vicinis? Quoties retulit mihi campana hæc ipſa, exitum multorum robuſtiorum, magiſq; vividorum corporum, ſpiritutum alacriorum, vivaciorumque? nunc verò quid, niſi me revocat ad ſeriam egreſſus mei cogitationem? Non eſt quòd iſtic morari ſperem: Abeundum eſt mihi quoque; O tu qui miſerationum omnium Deus es, propitius eſto miſello ſervo tuo, qui jam modò, cum noviſſimo illo hoſte cō-

flictatur,

flictatur. Amici ejus mæsti illum circumstant, & intuentur intentiùs, moribundoque allachrymantur, cui succurrere parùm possunt; necesse est eum sibi relinquant, ut magnum hoc opus sibi solus transigat; Nemo præter te solum, penes quem sunt mortis exitus, miseram hanc, & tantis hostibus imparem congressam animam relevare potest; Et quod me attinet, sine me nemo proximorum moriatur: Vti ego quotidie morior, ita doce me mori semel; fac me præ manu familiarem illi nuntio, qui mihi necessariò expectandus est; Doce me sic numerare dies meos, ut cor meum veræ addicam sapientiæ.

LXXIX.

Defamatione quadam divulgatâ.

SI vel primus ego, vel optimus omnium essem, cui probra immeritò fuissent ingesta, difficilius fortè foret, patientiam mihi imperare; Aut participatione, aut exemplis imminui solet dolor; quibus utrisque ubi destituimur, supra modum dejici solemus. acsi miseriarum archetypi quidam designaremur: Nunc verò quandoquidem communem hanc omnium, qui virtutem unquam coluere, condicionem, comperio, quorsum ego falsiloquarum linguarum sibilationibus ita nimium crucior? O Deus, ipsum te defamavit diabolus, in paradi-

so;

ſo; Te verò, O Servator, contumeliis magis impetierunt homines, in terra, quam nos impetere poſſunt homines, dæmoneſve : tu, qui omnium optimus es, eminentiſſimus etiam illorum omnium es qui mendaci, venenatâque lingua unquam fuere ſauciati; Nimium mihi favent linguæ hæ maledicæ, quod me tuis paſſionibus conformem præſtent; niſi illæ ita invidæ, ac mordaces eſſent, ego certè ita fœlix eſſe non poſſem; O tu, qui glorioſiſſimum es innocentiæ contumeliosè exceptæ, exemplar, quandoquidem, pro te mori non liceat, da mihi ſaltem tecum vel ſic vulnerari.

LXXX.

Audito quodam campanarum concentu.

DVm tempus ſuum, atq; ordinem ſervât hæ campanæ, quàm ſuavem, harmonicumque ſonum edunt? Villulæ quæque vicinæ communi hoc concentu recreantur; ubi verò diſcors ſonant, alteraque alteri obſtrepit; ſive coincidente ſonitu, ſive præpoſterè ſe ingerente; quàm injucundus eſt ſtridor ille, & haud parùm ingratus? Ita ut, qui gaudium publicum bene ordinatâ, regularique campanarum pulſatione teſtari ſolemus, domorum itidem combuſtionem, confuſo earundem ſonitu, ſignificemus. Et ſic quidem in Eccleſia ac republica ſe habet; Vbi unuſquiſque ſuum novit locum, ordinemque,

ordinemque, ſuaviſſima eſt pacis, contentationiſque harmonia; ſed ubi debita intervalla, reſpectuumque mutuorum proportiones juſtæ parùm obſervantur; Vbi aut imperia aut perſonæ, diſcordi quodam ſibi clangore interſonant, graviſſimæ lites incidunt, ac utriſque fortaſſe perniciosæ; Confuſio ſcilicet hujuſmodi incendium commune vel innuit, vel certè portendit; Populares ſiquæ ſint adminiſtrationes, campanarum ſeriem facilè, ac forte etiam tutò variare poſſunt; regimen verò monarchicum, conſtantem quendam, regularemq; ordinem, fixoſque & dominii, & ſubjectionis gradus efflagitat; qui quidem abſque manifeſto præjudicio, ac diſcrimine, violari non poſſunt. Me quod ſpectat; ita ego impensè diligo eccleſiæ, ac reipublicæ pacem, ut non poſſim cum pleniſſimo illo quidem charitatis Apoſtolo, non optare utinam exſcindantur qui iſtam conturbant; campanaſque omnes cupiam vel concordes, vel ſanè elingues.

LXXXI.

Conſpecto benè inſtructo convivio.

QVanta iſtic varietas eſt, carnium, piſcium, utrorumque, neutrorumque? quaſi & ars, & natura, ſaginationi noſtræ, ac deliciis conſpirarent; Meo certè tamen animo, nimio hoc omni, melius eſt quod eſt ſatis; Exceſſus iſte

oneri

oneri eſt & domino, & hoſpiti; Dolet mihi quidem cogitare, quis labor, qui ſumptus conquirendis hiſce tot cupediis neceſſariò inſumendi fuerint; quantum cruciatus ſubierint tot miſera animalcula, moriendo, ut ſuperfluo ſemel ſacrificio ventri immolarentur; Sed, & quanta accumbentibus pœna incumbit, uſque ſedendi, donec per omnia hæc fercula, ſuo quodam ordine tranſierint; quantum denique ſtomacho provinciæ demandatur, tot ciborum miſturas unà concoquendi. Non ita auſterè rigidus ſum, ut largos hoſce apparatus, ubi res poſtulat, parùm licere cenſeam; etiam Servatorem meum non ſemel convivio accumbentem comperio; & hoc non minùs, quam diuturnum illius jejunium unicum memoratur. Proculdubio, munificus Deus noſter, creaturas nobis ſuas, non neceſſitatis ergò ſolum, ſed & voluptatis, impertiit.

Exceſſus tamen iſti, & rari ſint oportet, & non nimii; & ubi ſunt, non minùs patientiæ profectò, quam temperantiæ deſiderant.

Optio ſi mihi mea detur, pauxillum mihi ſit, cum pace, & charitate. Ille, cui quotidianum dimenſum erat; triginta cori ſimilæ, & ſexaginta cori farinæ, boves triginta, centum oves, præter ferinam volucreſque ſaginatas, precatur tamen, Da mihi panem ſufficientiæ; Nullum mihi perpetuum convivium ſit, præter bonam conſcientiam; Ab iſtis vero lautis, largiſque epulis, liceat mihi, pro & animæ & corporis ſanitate, fame potius, quàm crapulâ laborantibus, ſurgere.

Auditâ

LXXXII.
Auditâ lyrâ benè pulsatâ.

INfinita fortassis esse possunt artis inventa, quorum possibilitatem, famæ talia alicubi posse fieri referenti, vix profectò crederemus; Si in rudiore aliqua, remotioreque mundi plagâ vixissemus, audivissemusque, fieri posse, ut ab excavatis, dolatisque lignis, bestiarumque illiis, motis parumper humanâ manu, tam suavis harmonicusque sonus ederetur, nos planè incredibile putassemus; nunc verò, cum hoc vulgo fieri, & videamus, & audiamus cotidiè, ne miramur quidem. Mirum non est si nos præcogitare nequeamus, sive genera, sive modos harmoniæ illius supernæ, quam a sanctis, angelisque in cœlo usurpari voluit Deus; cùm minima hæc quorum sensus noster facile convincitur, ita nimis admiranda videantur: Nosti tu, O Deus, infinitas, temetipsum, per creaturas tuas te glorificandi, rationes, quæ finitum ingenioli nostri captum longissimè transcendunt. Fac sapientiam tuam, potentiamque usque stupeam; simque adorando humilior, quam curiosior inquirendo.

Visso

LXXXIII.
Viso & audito pavone.

VIdeo hypocritarum non unum esse genus; Inter omnes alitũ species, hic, & pulcherrimus videtur, & sonat ingratissimè; ita ut hic hypocritam se præstet oculo: Sunt & alii huic adversi; uti merula, quæ nigra videtur, cantat tamen optimè; hypocrita nempe illa, auri est: Sunt & alii, qui & specie, & voce sat nobis placent, moribus vero ac gestu offendunt; qualis est psittacus, cujus colores venusti sunt, sonus non injucundus, mordere tamen solet ille, proximamque manum quamque unguibus impetere; hic, & oculo, & auri hypocrita est; Gradus tamen adhuc ulterior (præter irrationalium omnium exemplum,) eorum est, scilicet, quorum species, voces, gestus, moresque, non perplacere non possunt, corda tamen fœdissima sint, & horrendâ impietate plena.

Externæ venustatis non est, hypocritam facere non vereturpem, & odiosum; Quod ad me, curæ mihi sit, ut professio mea cum verbis, verba cum actionibus, actiones cum corde conspirent, utq; omnia hæc a Deo veritatis approbentur.

De

LXXXIV.

De ſcelerato quodam ſerio pœnitente.

NEſcio mirernè magis, ſapientiam, an miſerecordiam Dei, in rebus humanis adminiſtrādis; Niſi ita flagitiosè peccâſſet hic homo, nunquam tam fœlix fuiſſet; Dum ſe inculpatè geſſerat priùs, gratiâ interim deſtituebatur; nunc, illud in quod inciderat, crimen, graviſſimam ipſi calamitatem ſuperintulit; humiliavit eum illa calamitas; humiliationis iſtius anſam arripuit Deus, homini oportunè convertendo; Ni pes illi unus in os inferni collapſus fuiſſet, nunquam profectò ita cœlo appropinquaſſet. Nemo hominum ita væcors, aut imbecillus eſt, ut cui parùm ſuppetant ingenium, vireſque & peccandi, & peccato utendi peſſimè; una infiniti numinis bonitas eſt, quæ peccatum in ſe malum nobis commodum ac ſalutare poteſt efficere; O Deus, nihil nobis, peccatiſve noſtris debemus, quod malis noſtris melioreſcimus; opus tuum eſt, tua ſolius ſit gloria.

Ad

LXXXV.
Ad conſpectum Liliorum.

NOn poteſt non eſſe flos pulcherrimus, quem ſelegit Servator noſter, ipſi Salomoni, non quotidiano quidem habitu, induto, ſed ſplendore regio jam tum ornatiſſimo, conferendum; Certè nullus unquam rex terræ fuit, æquè, ac ille, glorioſus; Nihil ſanè produxit natura, regiæ magnificentiæ illuſtrandæ idoneum, quod ipſi defuit: Ille tamen, qui utrunque & Salomonem, & florem hunc fecerat, ait, Salomonem, vel regio apparatu inſignem, huic flori parem non fuiſſe. Quàm frivola eſt terrena iſtæc gloria, quæ tam facilè poteſt exuperari; quàm iniqui ſumus nos formarum externarum judices, qui ſpecioſas haſce plantas, quas ita laudat Creator, adeo contémnimus; admiramurq; viliora quæq; metalla, quæ ille, iſtarum habita ratione, contemnit; Quid vero eſt? nunquid iſtæ tam cita aritudine vileſcunt? at nos ipſi quid ſumus? Omnis caro fœnum, & omnis gloria hominis, ut flos agri: Vt nos æquè ſpecioſi eſſe non poſſumus, ita neque magis permanentes; O Deus, illa mihi ambitio eſto, tecum poſtmodò, albis indutum ambulare; Veſtem ſi ego iſtic ſtellis ornatam, cum ſuperbo Herode, geſtavero, ſplendida

splendida illa toga non me poterit a pediculis, vermiculisve vindicare.

Insiderem modò throno aureo, in domo eburneâ, cum istoc tamen flore minimè forem comparandus; æque certè caducus esse possem, non æque speciosus; Quid refert pro florene, hîc, habear, an herba noxia; uterlibet sim, arescam necesse est; O tu, qui major es Salomone, indue me perfectâ justitiâ tuâ; Sic ego, in atriis domus Dei mei æternùm efflorescam.

LXXXVI.

Visâ sandapilâ floribus ornata.

QVæ nimis pulchra videntur, vix unquam a justa suspicione immunia sunt; dum nil præter lignum hic fuit, nullus istoc flos decorabat; nunc ubi lignum hoc olido farcitur cadavere, suavissimâ hâc florum varietate adornatur illico; abiegna hæc sandapila, de se quidem suaviter redolet, fœtidum vero hunc hospitem nacta, ita nimis florum adminiculo indiget, ut ne horum omnium ope, putridum hunc odorem evincere possit. Neque aliter se in vivis habet; perpetuus unguentorum aromaticorum usus, malesuavis cujusdam odoris reatum secretum arguit; Idem etiam spiritualiter usuvenit. Nimis gloriosa professionis facies, internam aliquam fœditatem, quæ lucem refugit, vulgò innuit: partes magis pudendas, minusque

minusque decoras, vestimus honoratiùs; Nimium ornamenti intolerandam deformitatem subindicat; Quod ad me, nil nisi mediocre, ac moderatum ostentem, ita neque fallam applausum, neque nimium merebor censuræ.

LXXXVII.

Conspectâ mundi fabrica.

VEl materialem hunc mundum cernere, bonum est; melius tamen, mundum intelligibilem cogitare; cogitatio hæc animæ quædam visio est, qua res sui similes, spirituales, scilicet immortalesq; contemplatur; quæ quidem objecta, sensibilia quæque non minus exuperant, quam spiritus materiam corpoream, substantia pura corruptibilem, Deus infinitus finitam creaturam transcendit. O Deus, quale illud Psaltis de te tui verbum est, Humiliare te nempe temetipsum, ut contempleris & quæ in cœlo sunt, & quæ in terrâ: Haud parùm nobis gloriæ est, vel infimam cœli partem contueri; Humiliatio verò quædam tui est, vel optimam cœli partem despicere; Quanta mihi fœlicitas erit adeo exaltatum iri oculos meos, ut te videant, cujus tam immensa est gloria, ut vel locum, statumque beatitudinis meæ videre, quoddam demissionis genus sit. Imò, ipsi illi Angeli, qui faciem tuam adspiciunt, ita glorioſi sunt, ut si quam unius istorum faciem intueremur,

intueremur, tantæ nos gloriæ diutius superesse non possemus; qui tamen interea faciem suam ab aspectu tui splendoris, abscondunt; Quot horum myriades, & throno tuo in cœlis, & scabello in terris, Sanctis istic tuis, ministraturæ, sive adstant, sive provolvuntur.

Mundus ille tuus alter invisibilis is est, cujus communio nos verè fœlices præstare potest. O Deus, si corpus meum hîc cum brutis, quorum terrenam substantiam participat, versetur; uniatur anima mea tecum spirituum Deo, &, ad insensibilis beatorum tuorum Angelorum societatis fruitionem elevetur; fac præ manu intercedat mihi cum civibus, rebusque cœli tui sancta quædam familiaritas, neque sim futuræ gloriæ hospes, ac peregrinus.

LXXXVIII.
De vespæ aculeo.

QVàm minima possunt vel maximis molestiam facessere; mus elephantum, culex leonem, imo vel pulex gigantem, vexare potest; Ecquod telum minus esse potest vespæ aculeo? quantum tamen doloris, vel ex tantillo hujus ictu sentio? vix visibilis ista acies, quàm venenavit, quàm tumefecit mihi carnem? Sed & non parum dolori addit, partis teneritas quædam, & mollities. Quòd si vel iratæ muscæ tactu minimo, sic torquear, quomodo ferre potero

potero dirum cruciatricis conſcientiæ ſtimulum ? ut pars illa, & maximè agit, & ſentit exquiſitiſſimè, ita, vulnus quod ſibi infligit, neceſſe eſt, ut ſupra modum grave ſit, & dolorificum : tutiùs profecto quis inter crabronum examina volutaretur, quam uni hujus cruciatui ſubjaceret. O Deus, quicquid de me foris fiat, da mihi pacem domi; & quicquid caro mea patiatur, animam mihi ſanam ſervato, & incolumen.

Ecquod verò ſic cruciato remedium, niſi parte affecta melle ſtatim illita ? Ea ſola medicina dolorem minuit. Quàm prope noxam collocavit remedium natura ? Quandocunq; cor meum peccati aculeo pungitur, ſola tua dulciſſima, O Servator, prcciоſiſſimaque merita mitigare dolorem ac ſanare vulnus poſſunt. Illa medendi virtutem habent, da mihi unà applicandi gratiam ; pharmacum hoc ilicet certiſſimum, dolorem meum faciet ſalutarem : ſic ego cruciatui meo gratulabor : Bonum mihi eſt quod ſic fuerim afflictus.

LXXXIX.

Viso reo pro Tribunali consistente.

QVanto cum terrore pro tribunali stat reus iste? tremit illi manus, dum probationis ergò, elevatur; motitantur timore labia, dum se insontem pronunciant; vel ante judicis sententiam damnat illam facies pallida & consternata; ante carnificis manum, mortem illi metus infert; Iudex tamen iste imbecillis homo est, post non multos dies moriturus ipse; sententia, quam ferit ille, mortis, jamdudum a naturâ ipsâ in hominem quemque, vel innocentissimum, lata est. Sed & actus ille mortis, quem per eum lex infligit, brevis, & momentaneus est. O Deus, quanto cum horrore confitetur coram tremendo tribunali tuo peccatrix reprobi anima, in die magni illius confessus, universalisque judicii; terrebit eam infinitæ majestatis præsentia; ferox ac clamosa conscientia eam accusabit; deformium ac terribilium dæmonum legiones in procinctu stant, rapere, eam ad supplicium paratissimæ, ignis inextinguibilis horrenda vorago præcipitandam expectat; quam denique non minùs confundit gloria judicis, quam crudelitas carnificum; ubi sententia inevitabilis est, & pœna sempiterna; Quorsum vero non ita me sagacem, prudentemque reddunt terrores hi tui, O Deus, ut secretum

cretum quoddam, in animam meam actioneſque, judicium exerceam: adeo ut a corde meo abſolutus, a te parùm condemnor; & a meipſo judicatus, non damner cum ſeculo.

XC.

Audito galli cantu.

QVam aſperè ſonuit vox hæc in aure Petri, imò cor illi plane transfixit? ſæpe quidem audierat is alitis iſtius ſonum, neque quicquam illo priùs movebatur, nunc vero, is alitem geſtabat alium in pectore, magis ſonorum, cujus canori accentus, cum hiſce conjuncti, conſcium male diſcipulum penè exanimarant.

Feſſus labore agricola, cum a dulci ſomno, primo mane, a familiari hoc, nativoque horologio excitatur, non ita ſuccenſet molestæ huic avi, neque adeo vexatur intempeſtivo hoc ſono, ac Petrus fuit, ubi volucris iſtæc expergefecit illum ab alto ſopore conſcientiæ; & ad tempeſtivam reſipeſcentiam revocavit. Non aliter cecinit gallus iſte, quàm alii ſolent; neq; diſcrimen notarum ſuarum ullum ſenſit; Divina manus fuit, quæ matutinos hoſce accentus ordinaverat, ſummonendæ pœnitentiæ; Qui prædixerat, hoc, & prædeterminaverat itidem; non potuit non tunc canere ales ille; omnis, quantumvis confuſus, ſtrepitus, in Pontificis maximi aula non

potuit ſonum hunc ab aure Petri intercipere, ac detinere; At, O Servator, ſupereratne tibi hoc otii, dum pro tribunali ſtabas injuſti illius, crudeliſque judicii, inter ſanguinolentam inimicorum turbam, dum furorem ipſorum ſentires, tuamque expectares mortem, ut aurem dares Petræ reſipiſcentiæ monitori; auditoque hoc ſemel, retorqueres oculos in renegantem, execrantem, abjurantemque diſcipulum? O miſerecordiam ſine modo, ſupraquè omnem noſtræ admirationis potentiam, temetipſum negligere, præ peccatore; unius advertere ac irritare pœnitentiam, cum jam vitam tuam pro omnibus depoſiturus modò eſſes.

O Deus, æquè tu ſemper miſericors es; Æquè tibi chara eſt electa quævis anima; Fidelium monitorum tuorum ſonus aurem meam uſque feriat, & miſerecordium oculorum tuorum radii faucient cor meum; ſic ego exibo, & flebo amariſſimè.

XCI.

De cogitationum varietate.

VBi cogito quàm ab hoc vitæ momento perdet æternitas, miror poſſe me quid aliud, præter cœlum, meditari; Vbi video cogitationum mearum diſtractiones varias, vitæque meæ aberrationes, miror rurſum, quomodo ita poſſim faſcinari, ut cœlum hoc, quod credo, adeò

obliviſcar:

obliviscar: Quod unum modò facere possum, illud est, vanitati meæ succensere.

Non ita variæ essent cogitationes meæ, si rectæ forent omnes; pro uno directo tramite mille sunt devia; Vt unum tantùm cœlum est, ita una est, quæ eo ducit, via; viva illa nempe via, in quâ, fide & obedientia ambulo: Quo perfectiora sunt omnia, eò se magis ad unitatem illam, quæ perfectionis omnis centrum est, reducunt; O tu, qui unus es, idemque infinitus, retrahe cor meum ab omnibus vagis, inutilibusque cogitationibus; affigeque me tuo cœlo, tibique ipsi, qui cœli illius cœlum es; Nulla mihi, nisi in te, vita sit, nulla cura nisi te fruendi, nulla nisi gloriæ tuæ ambitio; Fac me sic ante tempus imperfectè fœlicem, ut, ubi tempus non erit amplius, perfectè beatus esse possim per omnem æternitatem.

XCII.

Ad conspectum meretricis plaustro exceptæ publicisque contumeliis expositæ.

QVanto cum strepitu, ac tumultu, zeloque publicæ justitiæ punitur peccatum hoc? neque pleniores sunt plateæ spectantium oculis, quam clamoribus insectantium: Contendit unusquisque odium facti aliquo vindictæ

ſymbolo teſtari; cænum hic, ille aquam, alius quis, ova putrida in miſeram conjicit meretricem; nec quo certe minore ſupplicio digna illa eſt; at nemo, interea, domum reflectit oculos, ut ſe videat; nullus in charitatem peccaverim, ſi dixero, multos juſtæ huic pœnæ inſultare acriùs, qui meruerint graviorem. Nos homines externo quidem ſcandalo peccata metimur, ſed Deus ille ſapientiſſimus, ſanctiſſimuſque, (cui ſoli peccamus) ad intrinſecæ iniquitatis modum, ſecretamque voluntatis & juſtitiæ ſuæ violationem, ea ſolet æſtimare; Atque ita, quæ nobis leviuſcula, gravia illi delicta videri ſolent; Nos fatui, Davidis adulterium plauſtro ac tympanis probrosè excipiendum cenſuiſſemus, numerationem autem populi, vix culpæ quidem loco habuiſſemus: Sapientiſſima vero Dei omnipotentis juſtitia multum in hoc comperit criminis, quod nos ne accuſaſſemus quidem. Proculdubio plus eſt in ſecreto quodam Atheiſmo (quem mundus cenſurâ notare aut neſcit, aut parum curat) flagitii, quàm in adulterio quovis turpiſſimo. Publica peccata plus habent pudoris, privata plus fortè habere poſſunt reatus; ſi illorum inſimulare me nequeat mundus; ſat eſt poſſe me animam meam incuſare graviorum: Geſtiant alii, quantum volunt, in publicis hiſce ſuppliciis; miſereat me peccati aliorum, ſenſuque mei humilier.

Ad

XCIII.
Ad Roſæ odorem.

ODoratus, unus quidem eſt ex ſenſibus infimis,& qui minimo omnium inferviat uſui; ex iis tamen quinque, nullus eſt, qui æquè exquiſitam voluptatem recipit, redditve; Nihil quidem terrenum (ut mihi videri ſolet) tam perfectè ſenſum ullum delectat, quàm roſæ primæ odor, olfactum. Ita ordinavit ſapientia, & benignitas Creatoris, ut ſenſus ii,qui magis affines ſunt corpori,terræque illi ex quâ corpus fit, ſuaviſſimè afficerentur illis rebus, quæ ex terra genitæ ſunt; ii autem, qui magis ſpirituales ſunt, pluſque cum animâ affinitatis habent, voluptatis ſuæ perfectionem, velut ſeculo illi alteri ſervatam, aliundè expectarent; Tunc, & ibi ſolùm, viſus meus, animam meam præſtabit æternùm fœlicem.

XCIIII.

Ad conſpectum ſyngraphæ laceratæ & irritæ.

QVamdiu valebat illud chirographum, ego membranulæ meæ ſervus eram; duplex erat obligatio mea, ſolutioni una, altera vero, pœnæ; nunc vero ubi adimpletur condicio, ſolviturque debitum, quid aliud eſt niſi irrita quædam chartula, nulli uſui idonea, niſi forſan, ut teſtis ſit ſuæ fruſtrationis, nullitatiſque. Neque ſe habet aliter ſevera lex creatoris mei; extra Chriſtum perfectè valet, vigetque, neque vel ad abſolutam, quam præſtare nequeo obedientiam, vel ad cruciatum exquiſitiſſimum mortemque æternam, quam ſubire nequeo, neceſſariò obligat. Nunc verò, cum illam Servator meus caſſatam penitus (quoad rigorem, maledictionemque) cruci ſuæ affixerit, reſpicio quidem hanc, ut prioris periculi & ſervitutis monumentum; Hinc probè novi quantum debuerim, quantum nomine meo ſolutum fuerit; Directio ejus perpetua eſt, obligatio ad mortem evanuit. Immunis ſum a maledicto, qui a obedientia mea nunquam ero immunis; O Servator, tu tibi ſume gloriam, da mihi pacem.

Audito

XCV.

Audito naufragio quodam.

TErra, & aqua, uti benefici largitores sunt, ita, & voracissimi etiam receptatores: ut materiam, sustentationemq; sublunaribus quibusque suppeditant, ita & eandem totam non multo post resumunt, fructum uteri sui tandem avidè, insatiabiliterque deglutientes.

Ex his tamen duobus, terra magis munifica est, & crudelis minùs; hæc etenim, ut pluscul um alimoniæ, opum, supportationisque subministrat, ita vix quid unquam a nobis recipit, quod nos ipsi non lubentes ei resignaverimus, quodque in eam, vi quadam naturæ, non sponte recidat; Vbi aqua, ut non multum nutrimenti, præter paucula quædam ad ornatum, confert, ita nos, nostraque, violenta manu rapere parata est; quæque nunquam dederat, desubitò auferre; Nulla nobis metalla preciosa elargitur, & tamen, momento temporis, multos auri, argentique acervos unà diripit; Nihilominùs tamen, non obstante quotidianæ hujusce rapinæ tristi experientiâ; quam multos videmus indies, quibus firmam pedibus calcare terram satis liceat, miserecordiæ maris confidere etiamnum ausos; Imò, quot ubique occurrunt, qui cùm vix dum periculosissimum naufragium evaserint, fidei tamen instabilis

illius & male-fidi elementi se adhuc concredere non dubitant. O Deus, quàm nos audaces sumus, ubi merito diffidere deberemus; quam diffidenter timidi, ubi certissima obvenit causa fiduciæ. Quis unquam, O Domine, in benignissimam providentiam tuam, firmissimaque promissa recubuit perperam? Istic tamen, fidem nostram anxiè retrahimus, excusationesque cudimus incredulitatis; quòd si Petrus undas illas, solidum sub pedibus suis pavimentum senserit, dum confidenter calcaverat illius anima, ubi tamen fluctus decumanus, flatusque paulo violentior hominem unâ adoriri consentiunt, langueseere jam fides ejus, ipse vero subsidere statim incipit. O Deus, doce me illic dubitare, ubi nihil præter incertitudinem comperire certus sum; & ubi nulla potest subesse dubitationis causa, securè semper confidere.

XCVI.

Viso cœlo sereno stellis referto.

EMpedoclem profectò culpare nequeo, qui vitam, in terra traducere se velle professus est, solùm, ut cœli faciem intueretur; certè si nihil nobis prætèrea negotii foret, satis hoc pensi esset, in hac infimâ mundi parte adspicere, & observare scintillantia illa cœli luminaria, super capita nostra regulariter circumvolventia,

ventia, eorumque ſitus, molem, motus; Chriſtiani verò opus longè nobilius, excellentiuſque eſt; apertum eſt illi cœlum, is ultra velum cernere poteſt, altiùſque ſupra has ſtellas, quam diſtant a nobis ſtellæ, proſpicere; ibique tantum gloriæ notare, quantum tam ſpecioſo, ac magnifico pavimento reſpondere poſſit; quo quidem conſpecto, mirari non poſſum, ſi vas illud electum, tam fœlicis mutationis gloriam ambiens, terrâ hanc derelinquere vehementer cupierit. O Deus, ego ob hæc quæ oculis uſurpo meis, infinitatem tuam ſummopere laudo; ſed ſi velum tibi placuerit retrahere, tantillum, fideique meæ oculo intimam glorioſæ fabricæ tuæ partem repræſentare, non aliam quidem iſtic beatitudinem deſiderabo; Neque majoris favoris capax eſſe poteſt anima mea, quàm ut hèic videat, fruaturque poſtmodò.

XCVII.

Audito rumore belli.

DEus bone, qualis laniena jam pridem factus eſt orbis Chriſtianus? Quàm mactantur homines, ut muſcæ, ſanguiſque inſtar aquæ effunditur? Certè quidem, crudelitas, & ambitio magnatum, tot millium pereuntium animarum, rationem, (diram illam quidem, triſtiſſimamq;) olim reddituræ eſt; Iuſta equidem arma nullus damno; illa non minùs neceſſaria ſunt,

quam injusta sunt humano generi infesta. Etiam Michael & Angeli ejus pugnant; Sed & titulus est ipsius Dei, Dominus exercituum: Sed, væ homini illi, quisquis demum fuerit, per quē scandalū hoc venit; Iuris alieni usurpatio, juramentorum contractuumque violatio, zelusque male-sanus, rei sunt publicæ hujus internecionis. Privatorum hominum injuriæ lachrymis facile lavantur; principibus verò, rerumque publicarum administratoribus illatæ, vix quidem sanguine diluuntur. Sine dubio horrendus ille cometa, non certiùs portendebat bella hæc, tam fera, ac diuturna, quàm bella hæc mundi finem præsagiunt; Nunquam lite quadam vacabat terra, ex quo tres tulit incolas; sed tam universales discordiarum flammæ, ex quo Christianus orbis extitit, nunquam profectò exarserunt; O Servator, quid mihi aliud, ista seriò cogitanti, occurrit, nisi te, qui universalem pacem, per orbem totum in priore adventu tuo, obtinere voluisti, statuisse etiam, ut in secundo adventu tuo bellum non minùs universale terram exerceret; pax illa mitissimæ præsentiæ tuæ sternebat viam, bellum verò istud formidandæ ac terribili.

XCVIII.

Puero ejulante.

NOn ſine juſta ratione jubet Apoſtolus, ne quoad intelligentiam pueri ſimus; Quam fatui ſemel ſumus omnes? Lachrymamur primulùm ridemuſque, quorſum vero utrumque facimus planè neſcimus; non ſat nobis ingenii ſuppetit ut indicio aliquo innuamus, quid nos lædat, aut de quo conqueramur; os quidem detorquere poſſumus, hac, illâc; ubera verò quæritare parum novimus: quod ſi præſto fortè, non ſit adjutrix quæpiam, tantùm plorare, motitari, mori deinceps poſſumus. Poſteà verò, ubi menſes aliquot nos docuerint, forſan, inter res perſonaſque aliquantulum diſtinguere tricas quaſque, etiam maximè nocivas, ſtridulo fletu proſequimur; & ubi nulla ſubeſt cauſa alia, ejulamus modò ut noſmet ejulantes audiamus; & ſono majore victi, conticeſcimus; quin & ſolo dentitionis dolore ita moroſi ſumus, ut nihil quicquam nos placare poſſit; quod ſi qua priorum, quæ olim placuerunt, næniarum, nobis ſedandis porrigatur, abjicimus quæ habemus, ſi quæ cupimus habere, parùm ſuppetant; Nec ignem metuimus, nec aquam; nihil nos terret præter aut virgam, aut ſpectrum aliquod fictitium. Fallit nos parentum noſtrorum notitia; nec quem agnoſcimus amicum,

amicum, præter ſutorem veſtiarium qui novam adduxerit tunicam; aut nutricem, quæ nos ornaverit bellulè: Quo propriùs accedit ad diſpoſitionem hanc maturior ætas noſtra, eò magis pueriles ſumus, noſtráque & aliorum cenſurâ digniores.

Rurſum verò, non minore de cauſâ præcipit Apoſtolus, ut, quoad malitiam, pueri ſimus. Parvuli iſti verè innocentes, nullâ ſecretâ laborant malevolentiâ; placantur ferè citiùs quam irritantur; quòd ſi quis injuriam illis intuliſſe viſus fuerit, ubi alapa nutrici porrigitur, quâ offendentem cædat, ſedantur illico; eodemque momento manum exerunt, reconciliationis ergò, ſeque in provocantis brachia dedunt ultrò: Vbi autem vel moroſiſſimi ſunt, cantilenâ aliquâ ſuaviore ad priſcam quietem reducuntur. Vetus verbum eſt, Senem bis puerum eſſe; fœlix vero eſt (inquam ego) qui ſic ſemper puer manet; Magnæ imperfectionis eſt ſcientiâ deſtitui; e duobus tamen minus malum eſt ut quis intelligentia puer ſit, quàm vir malitiâ.

XCIX.

Ineunte morbo.

MEâ quidem unius culpâ fit, quod ego iſtud nõ expectaverim; omnia ſuas viciſſitudines ſub-

ſubeant neceſſe eſt; Multos ego ſerenos detrivi dies, non erat quod non aliquando nubes, & turbines præſentirem : ſi modò potuiſſem ego ſemper bene agere, abſque omni peccati miſtura; perfectam fortè ſanitatem merito ſperaſſem ; ſed, cum obedientiam meam multis defectibus vitioſis, enormibuſque delictis interſperſcrim, cur mihi ægrè eſt, miſceri morbum valetudini ? Quid nunc ſentiam, novi; quid deinceps perpeſſurus ſim, non dignus ſum qui ſciam : Vt tempora mea, ità rerum mearum menſuræ, penes ſapientiſſimum, benigniſſimumque Deum ſunt; Illud me ſolatur unicè, qui mihi immiſit mala hæc, modum etiam iiſdem malis præſtituiſſe; ſi gravia ſint, ſcio eſſe juſta: maximum eorum quæ ego ferre poſſum, minimum eſt eorum, quæ perpeti meruerim : Quieti indulgere vellet natura, ſed, o Deus, quicquid fiat de cadavere hoc meo; jure bono tu gloriam tuam reſpicis ; Ego peccavi, neceſſe eſt vapulem, miſerecordiæ tuæ ingens gloria eſt, corpus meum verberare, ut animam ſerves ; Peſſimum morbi dolor eſt ; peſſimum doloris, mors eſt ; Dolorem quod ſpectat, ſi gravis is ſit, diuturnus eſſe nequit ; ſi diuturnus (illud nempe diſcriminis eſt inter terrenum hunc & infernum cruciatum) gravis eſſe non poteſt : Mortem vero quod attinet, & inevitabilis illa eſt, & haud parùm benefica; ibi deſinit miſeria mea, incipit gloria; Benè locantur pauci gemitus ubi præludio ſunt immortalis gloriæ;

Quicquid

Quicquid fit, nuntius tuus, O Deus, dignus eſt qui ſummâ gratulatione excipiatur, Dominus eſt ilicet, quid vult, faciat.

C.

Promiſſa quodam vehementiùs poſtulato.

VErum eſt illud quidem, honeſtum quemq; verbi ſui ſemel emiſſi ſervũ eſſe; ubi promiſerim, debitor ſum; debita autem, & poſtulari poſſunt, & ſolvi neceſſe habent: Multum tamen eſt, in obligationum noſtrarum generibus, diſcrimen. Quædam pollicemur, quòd debita ſint; quædam verò, eo ſolo nomine debentur, quòd ultrò promiſerimus; poſteriora hæc, quæ mera ſunt favoris, & beneficentiæ ſpontaneæ vincula, nos abſolutè quidem ita ligare, ut quicquid interveniat in expectante mali, neceſſariò teneamur, (quanquam maximo cum noſtro incommodo) præſtare promiſſum, planè nequeunt. Pollicita quæque gratuita capacitatem quandam in recipiente ſemper præſupponunt; quâ demptâ, ipſa nos communis æquitas liberat, & abſolvit,

Gladium quendam accuratè ſculptum amico cuidam meo promiſeram, is, intereà temporis in phreneſin incidit; quid? nunquid hunc aut mittere teneor; aut ſtatim arguor violatæ fidei qui non miſerim. O Deus, merito quidem audis tu Deus veritatis; neque minùs impoſſibile

impoſſibile eſt, ut tu fidelis non ſis, quam ut eſſe deſinas. Quoties pollicitus es tu, nihil quicquam boni tuis defuturum, quoties tamen audivimus filios tuos chariſſimos fame, & inedia laborâſſe: Quid? vacillatne ergo verbum tuum, noſtriſque cavillis obnoxium erit? Abſit, abſit, ut cogitationes nobis occurrant ita audacter impiæ: Minimè verò; Quæ gratiam externam ſpectant promiſſa, nunquam non cum certâ quadam, condicionis ſive capacitatis noſtræ, ſive expedientiæ ſubintelligentiâ, proponuntur.

Vides tu ſcilicet rerum omnium affluentiam, quietemque, exitio nobis fore; amor tuus noxio nos beneficio cumulare detrectat; digni ſumus qui infeſtis perniciosiſque favoribus puniamur, ſi prudentiam tuam, curamque eximiam in noſtrâ hac indigentia grato animo non agnoſcamus.

Sufficit nobis abundè, miſerationum tuarum optimas quaſque, debitas nobis eſſe, quia æte promiſſas; Non poſſumus nimis confidenter poſcere, quod tu certiſſimè largiri promiſeris, largiendoque nos æternùm beatos præſtiturus es.

Muſcis

CI.

Muscis quibusdam conspectis.

QVoties muscas istas, culices, ac vermiculos intueor; Est sanè quòd cogitem; Quid sum ego infinito creatori meo, plus quàm illi? Quòd si hi, rationis meæ participes essent, quidni conditorem suum compellarent, cur tales facti sint; cur tam inutiles vivant, tantoque cum neglectu moriantur? Et si mihi æquè ac illis deesset ratio, forte ego quavis, quemadmodum & illi, sat bene contentus forem. Ratio, quâ præditus sum, non a meipso profluit; illam qui mihi solus indidit, potuit & istis non minus dedisse, meve, si visum fuisset, non minùs quam istos, rationis expertem condidisse; Non est quod me morosum, ingratumque reddat major illius benignitas. Quicquid sim, quicquid habeam Deo meo acceptum referam; quicquid defuerit, absit ut cum ipso expostulem.

CII.

Viso zelote quodam fanatico.

CORpora noſtra de novo formare gratiæ propoſitum non eſt; ſed iis uti potiùs, prout diſpoſita invenerit. Ingenia moreſque hominum ſequuntur, ut plurimùm, humorum in corpore qualemcunque temperiem. Iſta humorum mixtio, gratiâ inſuper operante, efficit ſtupendam illam varietatem, quæ in religiosâ quaque profeſſione elucet; Cùm in animum triſtem, mæſtumque, gratia inciderit, nihil heîc affectatur, niſi moroſitas quædam, & ſingularis vitæ auſteritas; licitæque, & probatæ libertatis tetrica repudiatio; nihil denique præter duriſſimæ ſeveritatis, & theſes, & praxin aſſiduam: Cum verò, e contrà hilarem ac jucundum beârit gratia, ad libertatem lætitiamque tendunt omnia; eæ cogitationes nunc maximè arrident, quibus, ad lepores, & feſtivitatem quandam cor dilatari poſſit. Maximum arguit in ſapientiâ Chriſtiana profectum, poſſe inter ſimplicem gratiam & nativum cujuſque ingenium (quæcunque demum profeſſio ſit) diſcrimen ſtatuere; debitam Deo gloriam tribuere, propriaſque hominibus infirmitates.

Conſpecto

CIII.

Conspecto sordido quodam canalium expurgatore.

HOminum animos accommodavit infinita Dei providentia ipsorum condicionibus quibuscumque; Si plebeii magnatum animos gererent, de servilibus quibusque officiis, actum penitus esset: Omnes nempe imperare vellent, vivere posset nemo. Et si magnatibus inesset sordidum mancipiorum ingenium, actum itidem esset de ordine, & obsequio; quia nemo sic quidem imperitare noverit; nunc verò ex hac eorum discordiâ eruit, ordinavitque Deus, optimâ regiminis, & pacis harmoniam; eo nimirum, quòd necessarius utriusque sortis in se invicem nexus cogat unumquemque, proprium, in quo positus est, ordinem usque sustinere, eaque præstare officia, quæ ad sui, reiq; publicæ tutelam maximè expedierint. Vt itaque inferiorum est Deo benedicere, ob superiorum merita, & potestatem, ita, neque minùs superioribus incumbit, ob inferiorum humilitatem, & observantiam gratias ipsi habere maximas; quique mediæ condicionis sunt, pares, utrorumque nomine, referre oportet.

De

CIIII.
De perſpecillis ſuis.

ISta ego intueor non ut objecta, ſed ut adjumenta; neque ut in ipſis viſio mea terminetur, ſed per iſta tranſeat, eorumque adminiculo, alia quædam viſu digna clariùs conſpicetur. Multa hujuſmodi ſpecula habet anima, uſurpatque; Per creaturarum ſpeculum ad potentiam, ac ſapientiam creatoris fertur oculus; per ſcripturas, ad magnum redemptionis myſterium; cœleſtiſque hæreditatis gloriam; per Dei beneficia, ad immenſam ipſius miſericordiam; per judicia, ad juſtitiam ejuſdem incomprehenſibilem: Verùm, ut mea hæc perſpecilla facultatem in oculo ſupponunt, nec mihi cæco poſſunt viſum impertire, ſed lippienti tantum clariorem reddere; ita, neque poſſunt iſta creaturarum, ſcripturarum, beneficiorum, judiciorumve ſpecula, poteſtatem mihi indere, beatifica illa objecta quoviſmodo apprehendendi, niſi & oculum fidei habuero, cui iſta demum præſententur. Certè hæc qualiacunque auxilia infideli, pariter ſe habent, ac cæco perſpecilla; ut naturales oculi, ſic etiam & ſpirituales ſuos habent caliginis gradus; peſſimè autem de ſtate meâ merui, ſi dú defecerint paulatim naturales iſti ocelli, altera illa ſpiritualis acies non & perſpicacior indies, & firmior evaſerit:

Etſi,

Etsi, ubi me vel optimè habuero, nunquam non perspecillis mihi opus erit, donec tandem videro, uti videor ipse.

CV.

Visis atomis in Solis radiis.

QVàm inquieto cursu atomi istæ minutulæ, sursum, deorsum in radiis solaribus motitantur; dum fixi interim hærent montes, nec unquam, nisi motâ terrâ ipsâ, moveri solent: Sic levia, ac operosa ingenia nunquam non agitantur, multo cum laboris dispendio, fructu penè nullo; dum solida, & profunda delitescunt, nec nisi necessitate quâdam impellente, prodeunt: Esset modo atomorum motus iste utilis æquè, ac inquietus, atomus ego quàm mons esse malim.

CVI.

Conspecta vesicâ recente.

SVum unicuique rei tempus oportunum est; vesica ista, ubi semel peraruerit, nullo quantovis flatu distenditur; recens jam & humida, intumescit illico tota, halituque vel leniſſimo dilatatur; Neque aliter se habet cum hominum indole, ac ætate; si puerum adhuc tenellum, literarum,

terarum, virtutisque præceptis instituerit, mirum quàm facilem se geret, quàm suaviter eruditionem, ac pietatem omnem imbibit. Sine illum modò, donec longiore tempore, pravoque exemplo indurverit; donec malis se habitibus obfirmaverit, & vitiosis cupiditatibus contractus, quasi, compressusque fuerit, nunc indocilis fit penitissimè. Citius jam vesica ista rumpi sanè quàm distendi poterit.

CVII.

Viso quodam dormiente.

NVllius ego artem miror magis, quàm illius, qui nihil cogitare profitetur, nihilque agere; sed & illius, qui se absque ullo insomnio dormire posse ait; Siquidem, irrequieta res est animus humanus, qui licet corpori det veniam (mortali quidem illi, ac terrenæ moli) ut quieti indulgeat; ipse tamen, spiritualis cum sit, eoque nomine activus, & indefessus, continuo motu agitatur. Da mihi mare tranquillum undique & immotum; solem qui non luceat, oculum apertum, qui nihil tamen videat; ego concedam identidem animam rationalem esse posse ociosam; Possibile quidem est homini, ex naturali, sive accidentaria forsan stupiditate, cogitationes suas proprias non sentire, (uti

(uti & adeo diſtrahi aliquando contingat oculum, auremve, ut proprium ſibi objectum neuter percipiat;) interea tamen illud vel hic cogitat, cujus fortaſſe rationem reddere non poteſt: quemadmodum ſæpiùs ita elabuntur nobis inſomnia, ut phantaſmata noſtra poſtea repetere, & revocare nequeamus.

Illi ego me potiùs in diſciplinam tradiderim, qui plura ſimul cogitandi artem profitetur; Motus inſtantanei ſpiritibus magis conveniunt, quàm plumbea quædam quies, ac pigritia; Cum anima mea nunquam non agere aliquid geſtiat, curæ mihi erit, ut ſemper benè agendo occupetur.

CVIII.

Viſo cranio humano.

MIror ego antiquorum cùm Græcorum, tùm Romanorum morem, quibus ſolenne erat, media inter epula, mortui cranium convivis apponere; eo quidem fine ut diſcumbentes liberiùs genio indulgerent, & ad pocula, hilaritatemque ſolutiores ferrentur; quod quidem ſpectaculum (ut mihi videtur) terrorem potiùs incutere, & (ſi quod aliud) luxurianti-bus frænum injicere potuiſſet; Verùm, quicquid illi demùm fecerint, qui nihil amplius poſt mortem ſupereſſe crediderunt; ideoque breve cogitantes ævum, & voluptatum, & vitæ ſuæ,

ſuæ, incitarunt ſe, eo quidem acriùs, ad liberiorem libidinis ſuæ uſum proſecutionemque, quò minùs diutule illâ frui liceret; nobis certè, qui Chriſtiani ſumus, eoque nomine, haud ignari vitam hanc breviculam, ad futuram gaudii, vel pœnarum æternitatem, viam ſternere, ſed & ſumptuum quoque rationem, a nobis poſt epulas tandem exposcédam, nihil eſt quod libidinis æſtum magis temperare poſſit, impetumve appetituum cohibere, quàm ut de vitæ fragilitate, mortiſque certitudine ſeriò ſemper meditemur.

Ecquis ventrem ſaginare vellet ut vermibus epulum inſtruat? Ecquis ita deſiperet, ut momentaneis peccati blandimentis, ea quidem lege, ut pœnas in æternum duraturas deinceps luat, ſe totum addiceret? Me quod ſpectat; videor mihi audire cranium hoc, haud aliter quam ſic me allocutum. Ne quid temporis prodigas; Et tu moriturus es; optimis quibuſque operam impendas; non licebit diu benefacere, ſic age ut bene valeas æternùm.

Ad

CIX.

Ad conſpectum Scævæ cujuſdam.

VEtus eſt faciliſq; obſervatio illa; ut ut Senſus dexteriores, ſiniſterioreſque æquè activi vegetique ſint; membra tamen dextrorſum poſita, ſiniſtris aliquanto eſſe fortiora; quia ſcilicet ſæpiùs, magiſque exercentur; Vnde etiam ſequitur, quòd cui manus ſiniſtra magis in uſu eſt, eidem & brachium ſiniſtrum, dextro dexterius, validiuſque ſit; Neque aliter in anima ſe habet; Facultates noſtræ intellectuales exercitio plus roborantur, ocio vero langueſcunt. Novi ipſe concionatores egregios, diſputatoreſque acutiſſimos, qui tamen utrique, hoc, quicquid erat artis, deſuetudine paulatim perdiderunt: Alios verò, indole quidem mediocres, qui frequenti exercitio ita demùm auxerint, ut non contemnendum utriuſque facultatis modum fuerint aſſecuti.

Malo mihi deſint egregiæ animi dotes, quàm ut ego illis deſim. Carere iſtis mihi vitio non erit; vitio certè, eſt, non bene uti.

Conſpecto

CX.

Conſpecto tuguriolo pauperculo vetere, nudato tegmine ſtramineo, caduco q.

INfirmæ ſenectutis aptius emblema cogitari non poteſt: Ecce enim parietes lutoſi, jamq; modò in pulverem abituri; tectum rarius, detectumque, recurvata ſtatumina, obſcuræ fractæq; feneſtræ; domus denique tota in domini ſui capiæ illico ruitura. Corpus vel validiſſimum caſa vilis eſt, tenuiſque; ſi recentiore, & meliore ligno conſtructa, qualem tamen tempus æque facilè corrumpet, iſtâque non minus ſordidam ac lacinioſam relinquet; & quæ forſan incendio, tempeſtatibus, hoſtiumque violentâ impetitione citius corruet. Hoc ſibi imprimis curandum homines proponere ſolent, ut bene habitent; Alii quidem ſibimet ædificant, ſplendidè forte ſatis, at parùm ſolidè ſtabiliterque; Alii poſteris, firmiter ſatis, at non altè, nitidèque: Fœlicem verò illum qui ædificat æternitati; firmitudine, ſplendore, ac ſublimitate nihil infra cœli ſupremi contignationem æmulatus.

CXI.

Conſpecta quadam gemmâ luculentâ.

QVam puri, verèque precioſi ſunt uniones iſti; ex imâ tamen maris fæce deprompti; Ecquis vel viliſſimâ ſe natum origine conqueritur, qui eximias haſce naturæ delicias, ſic conſpicatur oriundas? Conchylia hæc, quæ ſexu carent, atque ideo ex merâ putredine ortum deducunt, quam glorioſas edunt gemmas, quibus & ornare ſe ſolent, & ſuperbire maximæ orbis dominæ? Non externâ quadam ſpecie, ac eventus probabilitate æſtimanda ſunt, magna Dei opificia; qui omnia e nihilo eduxit, quam facili negotio eruit ex obſcuritate gloriam?

Visâ

CXII.

Visâ quadam antepyrâ.

QVàm similis mihi videtur antepyra hæc, inter me & ignem tàm commodè interjecta, fido cuidam patrono aulico, cujus interceſſio me abardore injuſtæ potentum iræ, quo, immeritò forſan (abſque hoc foret) mihi torreri contingat, tutò ſervat, protegitque : Quòd ſi interpoſitio benigniſſimi Servatoris mei, unici mihi in cœlis patroni, tueri me velit a meritiſſimâ excandeſcentiâ magni illius Dei, (qui ignis conſumens eſt) quàm ego verè beatus fuero ?

CXIII.

Viſo Petaſite, vel, Bardanæ quam vocant, folio largiore.

NEque vitis, nec quercus, nec cedrus, nec quæ alia, quam novi, arbor, in totâ hac mundi plagâ, æquè amplum edit folium, ac herbula hæc; quæ tamen poſt ſatis longam expectationem, nihil quicquam profert præter lappam, inutilem, moleſtamque; Ita neminem omnium plus religioſæ profeſſionis oſtentare vidi, quàm hominem ignarum; cujus malèfervidum ingenium nihil fructus edit præter ſeditioſam quandam Eccleſiæ, inqua degit, perturbationem. Nimia boni ſpecies non tãto melior eſt omnino nullà, quantò fructus malus eſt nullo deterior.

Audito

CXIV.

Audito aviculæ cantu.

NImio quam probabile eſt, inter animalia omnia rationis expertia, aves, ſonorum dulcedine maximè delectari; quò fit, ut & iſtæ tantum temporis cantando deterant; & imitandis hominum modulationibus haud parùm ſint aptiores; Actionum frequentia (modò voluntaria fuerit) arguit voluptatem quandam complacentiamque in iis quæ facimus; voluptas vero illa nos reddit, & agendi peritiores, & magis capaces perfectionis cujuſdam, in iis, quibus jugiter exercemur. O Deus, ſi in lege tua delectationem meam omnem locavero, hanc unam meditabor alacer, audax eloquar, præſtabo ſedulus, fœlixque.

CXV.

Conſpecto quodam oſcitante.

SI quis realem effectum, fortemque operationem ſympathiæ, (etiam ubi nullus intercedit contactus corporeus) ſedulò obſervaverit, haud parùm ſanè mirabitur. Ita unius mæſtitia, totum conventum triſtitiâ quadam afficit; Ita unius oſcitatio, aperit, diſtenditque plurimorum aſpectantium fauces; Ita lipporum intuitus oculum inficit pari lippitudine; Facilè hinc videmus, quâ fretus ratione, Servator noſter cum inſectatore ſuo tam vehementer expoſtulaverit, Saule, Saule, quid me perſequeris?

Eccleſia patitur in terrâ, is ſentit in cœlo, quiritaturque: quanto magis perſona ſenſu valet, & apprehenſione, tanto acriùs afficiatur neceſſe eſt; Non potes tu, O Servator benigniſſime, non exquiſitiſſimè ſentire miſerias, infirmitateſque noſtras; ni nos itidem illatas tibi injurias, fratrumque noſtrorum neceſſitates ſenſerimus, nihil ſanè nobis tecum fuerit commercii.

Viſa

CXVI.

Visa arbore quadam resectâ

IN frondatione hâc, experientia, reique rusticæ peritia homines edocuit ramum saltem unum in arboris summitate relinquere; quo succus ab imâ radice attrahatur, retineaturque; Eadem plane prudentia in censuris observanda est; iis nimirum quæ corrigendis moribus, non personis destruendis inserviunt; Ita nempe infligendæ sunt illæ, ut non animum prorsus despondeat reus, spequeomni, ac solatio destituatur; sed ut sentiat quas patitur pœnas, ad animæ suæ bonum intendi universas; reformationemq; suam & unicè propositam agnoscat, & exinde expectatam: O Deus, si sic mecum agere velles ac ipse merui, non solùm ramos mihi omnes resecares, sed stirpem etiam ipsum rescinderes, penitusve eradicares; tu vero superfluos mihi quosdam ramusculos amputare miserecors voluisti, stolones reliquos fovere; quam indignus fuero ego hac gratiâ, si dum tua sic mihi favet indulgentia, ipse aliis, minùs fortasse malè meritis severum me, crudelemque præstitero.

CXVII.

De ſtudioſo quodam qui vim ſibi intulerat.

SI gravi aliquâ inſignique ægritudine laborâſſet iſte, tanti hujuſce mali cauſam adinvenire haud difficile fuiſſet : Imbellis natura hæc facile quidem obruitur impatientiâ; unica ſit oportet vis divinæ gratiæ, quæ cum maximis malis confligere poſſit, deque illis denique devictis triumphare; Iſtic verò nemo omnium ſuſpicari poteſt, quid tandem fuerit, quod hominem hunc ad tam immanem ἀνδροκτονίαν impulerit; Supellex illi non curta fuit, fama illæſa, ſat ſanum corpus, animi vero diſpoſitio (quantum quidem nobis apparuit) candida, ac ſerena, vita denique inculpata; aliquid tamen invenit tentator quod ſuggereret impotenti huic animæ, tanta violentiâ non indignum : Quam miſella res eſt vita noſtra; cujus nos ita facilè tædeat ? Quàm nos mera ſumus debilitas, ni a ſupremâ illâ manu ſuſtentemur ? Ex omnibus illis tentationibus quæ mentem humanam invadere ſolent, quis non autumaret hanc maximè impoſſibilem; occide te? Diligit ſe nempe quiſque naturæ inſtinctu; vita ſuavis eſt, mors

mors infesta; Quid est quod non speret Diabolus persuadere hominibus, cùm inducere ipsos possit, ut vitam abdicare, mortem ambire mavelint. Aut quid desperem ego tantùm apud me valere, ut aliquando possim potenti Spiritus divini efficaciâ, vitam contemnere, causâque Servatoris mei, oppetere mortem illam, in quâ pauca quædam pœnarum momenta cum æternitate gaudii commutantur; cùm alios quosdam vidcam, (quantumlibet improbabiliter suggerente Satanâ) gratis prodigere animam; atque ita temporalem sibi mortem accelerantes, ut æternæ periculum interea incurrere non dubitent?

CXVIII.
De Iudicis adventu.

FRout afficiuntur ſpectatorum animi ſic planè homines, humanæq;. actiones conſtrui ſolent; Eadem facies Iudicis, abſque ullâ ſui mutatione, a reis, non ſine terrore quodam, non ſine gaudio fiduciâque ab inſontibus oppreſſis conſpicitur. Eadem ſponſi labia & mel ſimul, & myrrham diſtillant; benè quidem diſpoſitis animis mel dulciſſimum, myrrham vero rebellibus, præfractiſque: uti & poculum idem optimè ſapit ſano; febricitanti diſplicet; verbum idem, his ὀσμὴ θανάτου, illis ζωῆς; εὐωδία tamen Chriſti utrobique; Idem ſolis radius fortem oculi aciem refocillat, perſtringit debilem; Id ſibi demum ut quiſquam hominum proponat, ſive facere, ſive loqui, quod omnibus perplaceat, impotentis cujuſdam, & otioſæ ambitionis eſt; quandoquidem videmus illum, qui infinitè bonus eſt, terribilem longè pluribus, quam amabilem apparere. Non eſt aliud a ſe bonitas, quibuſcunque tandem oculis conſpiciatur; Tutus profectò eſſe nuſquam poteſt, qui pluris facit hominum cenſuram, quàm condicionis ſuæ veritatem ac juſtitiam; Qui omnium corda ambitiosè captat, ſuum perdidit.

Conſpecto

CXIX.

Conſpecto lapidum acervo.

SVb tali acervo ſepultus eſt primus martyrum; nullus antiquorum regum ſortitus eſt, tumulum æquè glorioſum; Multi iſtìc lapides erant, & pretioſi omnes; Iacob olim caput ſuum in lapidem reclinavit, viditque cœleſte illud ſpectaculum, aſcendentium, deſcendentiumque Angelorum; In caput Stephani congeſti ſunt lapides multi, eodem planè momento, quo cœlum vidit apertum, Ieſumque ad dextram patris conſiſtentem.

Ecce Iacob uni illi recumbens lapidi, Angelos tantùm vidit; Stephanus verò, ſub lapidibus multis illicò ſe repoſiturus, Angelorum dominum conſpexit; Iacob vidit Angelos ſuſquè deque moventes; Ieſum ſtantem conſpexit Stephanus; ut ergo Iacob, juxta quod voverat, altare illic erexit Deo poſtmodùm, ita & Stephanus modò congerit lapides iſtos, e quibus ſanctum altare ſtruit, ipſe in gratiſſimam Deo victimam immolandus. Et ſi tempus uſpiam ſit colligendi lapides & tempus item diſpergendi; certè, hoc ipſiſſimum tempus erat,

quo

quo & dispergebant Iudæi, & colligebat Stephanus lapides istos, æternæ, tanti martyris gloriæ futuros monumento.

Non ita clarè videras tu, o Beatissime, cœlum tibi apertum, ac cœlum te coopertum conspicabatur; non ita liquidò vidisti tu Iesum tuum in cœlo stantem, ac ille te sub fatali hoc cumulo patienter, fortiterque jacentem conspexit.

Fallor? aut lapides illi non fuerunt siliciæ, alculive, aut quod aliud vile genus, sed adamantes, pyropive, aut siqui alii preciosiores, coronæ illi, gloriæ, quâ cingereris, immortalis, decorandæ.

CXX.

De bubone, & Vespertilione.

IStæ noctis alumnæ toto die latitare gestiunt; & si casu quodam, aut insperatâ vi, e latebris suis intempestivè propellantur, quàm insectanter illico, excipiuntur, cæduntur que ab avibus quibusque luci-colis? Longè aliter nobiscum se res habet: Filii tenebrarum qui sunt, filios lucis violentâ quadam malitia persequi fugare, deprædari ubiquè solent; Par utrobique immicitia est; viget tamen istic, prævaletque pars deterior; Numquid hinc fit istud quòd lux spiritualis non minùs tenebrarum filiis exosa sit, quàm nox naturalis alacribus illis

Diei

Diei clientibus esse solet? aut verò, hinc forsan, quòd tenebrarum filii, haud minùs sibi jus proprietatisque in sæculo hoc vendicantes; quàm alites illi in æthere claro, illuminatoque faciunt, pium quemque ut peregrinum, prodigiosumque animal horrent, & insectantur? quicquid sit, ut vespertiliones, ac bubones isti, nocti quasi destinati, factique videntur, atque ideo deformitatem quandam, turpitudinemq; præ se ferunt; ita novimus nos hosce pravos, improbosque (ut ut sibi ipsi perplaceant, verè fædos esse; idoneosque qui tenebris usque obnubilentur; & uti operibus tenebrarum unicè delectantur, ita & ad condicionem horroris, ac tenebrarum plenam meritò reservari.

CXXI.

Viso vellere ovino.

ANimal verò hoc quietum, innoxiumque, quàm (Dei sic providentis beneficio) vestitissimum est? Sed & in cæterorum omnium administratione, quàm stupenda est divina bonitas, & sapientia? Aptioribus motui animalibus, naturâque formidolosioribus leviorem, tenuioremque tunicam induit, ac subterraneos præterea cuniculos, tutos quidem illos, paravit; Quæ verò laboribus, usibusque humanis destinavit, crassiore ac firmiore tergore munivit.

Homi-

Hominem denique quod ſpectat, nudum, tenellum, inopem in hanc lucem producturus, nobilem illam rationis facultatem parentibus, ipſique demùm indidit, quâ, omnia quibus opus foret, facilè ſuppeditare poſſet; Ita tamen munificus cum ſit Deus, prodigus non eſt; dona ſua ſic æquâ manu ſpargens, ut nihil cuiquam aut deſit, aut verò ſuperfluat. Animalia quæ roſtris freta ſunt, dentibus carent; Teſtacea quæ ſunt, carent oſſibus; Sat eſt omnibus, nulli nimium. Neque aliter fit homini, quem creaturarum omnium dominum eſſe voluit Deus; Donorum varietas parcâ quadam largitate, & iſtic diſpenſatur: Non eſt quod glorietur quiſpiam, non eſt quod queratur; Ita quiſq; ab extremâ indigentiâ, ac a ſummâ perfectione immunis eſt; Non auſim, o Domine Deus, illud ambire ut comprehendam, doce me modò ut mirari aliquando diſcam.

Audito

CXXII.
Audito tonitru.

NVlla cogitanti mihi virtus occurrit, cujus adeo univerſalem defectum in me, aliiſque perſentiſco, ac, quæ tremendæ Dei Majeſtati debetur uſque reverentiæ. Homines ſæpius familiaritatem quandam cum Deo affectare, ac profiteri ſub ſpecie ſancti amoris, nimio quàm proclives ſumus: quem ſi recte cognoſcerent mortales, nec abſque pavore cogitarent, nec abſque tremore nominarent quidem; Anguſta illorum corda, juxta tenuem intellectus ſui (nimium incapacis) modulum, de Deo ſentire ac imaginari ſolent; cum illud oporteret tantùm ambire, ac ſtudere ſedulò, ut divinæ incomprehenſibilitatis ſtupore, & adoratione toti abſorbeantur; Non ſemper tonat ille quidem, æquè tamen ſemper tremendus; Ex omnibus quotquot uſpiam fiunt operibus ejus, nullum non prodit omnipotentiam. Rubore profectò ſuffundor, quoties vanorũ hominum audaciam cogito, qui actus omnipotentis, intra naturalium cauſarum cancellos circumſcribere non verentur; illud mirari nolentes, quod ſcire profitentur; ſola inſcitia tantæ hujus audaciæ rea eſt. Vna eſt in humillimâ quadam reverentia, Theologia; una, in tacito ſtupore, philoſophia.

Conſpecto

CXXIII.
Conſpecto erinaceo vel echino.

MIrabar equidem primo intuitu quid ſibi voluerint Græci diverbio illo ſuo, Πολλὰ μὲν, &c.) Multa quidem ſcire vulpeculam, erinaceum verò unum quiddam, ſed magnum: At cum naturam moreſque animalis hujuſce perpendiſſem, facilè intellexi quò reſpexerit adagium illud: Vnumque illud magnum comperi curam ſalutis ſuæ callidè ſatis conſervâdæ. Quamdiu ſiquidem ſub tectorio ſuo deliteſcit, oſtium ſuum Aquilonaris, Orientaliſque venti flatibus rigidioribus, obſtruere catè novit, poſticum verò aperire, ut leniore interim aurâ commodè perfruatur. Egreſſum foras inſequitur canis, jam modò comprehenſurus, in globum illico convolvitur erinaceus, ſentibuſque illis, quibus ipſum undique munivit natura ita totus jacet circumſeptus, ut deluſus hoſtis vice beſtiæ, quam avidè venabatur, nihil præter pilum quandam ſpinoſam, quâ fauces ipſi miſerè doleant, reperire poſſit; jamque a prædâ tam ingratâ non ſine clamore territus, ac fauciatus aufugit; Qui formicæ ignavum tradi-

dit

dit in disciplinam, echino itidem securum videtur improvidumq; demãdâsse, dum, Si sapis, ais, tibimet ipsi sapias; Animantium cuique præcipuè incũbit suæ salutis cura, conatusque; quicquid verò hoc optimè omnium præstiterit, meritò audit prudentissimum : Quæ merum corpus sunt animalia, naturæ instinctui fecerunt satis, si quæ ad corporis tutelam spectant, solicitè sibi prospexerint ; homo autem, qui ratione insuper præditus est, nihil egisse judicabitur, nisi meliori, sui parti, largè, tutòque providerit. O Deus, animæ meæ fac sapiam satis; astutiæ illorum, qui simplicitatis meæ miserentur, si invidero, dispereâm.

Viso

CXXIIII.
Viſo capro.

MAlè audit hoc animal; neque quid præ ſe fert boni, quòd ex aliis omnibus a Deo ipſo eligatur iſtud, quo, improbæ, reprobæque animæ condicio aptiſſimè exprimatur. Petulcus eſt ilicet, ſalax, fætidus. Quoties ſanè hircum conſpicio, non poſſum non in animum revocare horrendum eorum ſtatum quos ad ſiniſtram ſepoſitos ad Gehennam devovit, juſtus vindex Deus. In terris quidem gregi fortè miſcentur iſti, nec externo colore a genuinis ovibus quicquam diſcrepant; quòd ſi quem forſan horum, hirſutâ pelle, tetro, infeſtoque odore dignoſcere contigerit, noſmetipſos forte tantiſper dum ſubducimus; at veniet aliquando dies, quo a nobis illos æternùm ſegregabit is, qui innocentiam noſtram caulæ aſſignavit, eorumque nequitiam perpetuæ (quam meriti ſunt) lanienæ.

Interim vero ſcandant illi, quantum lubet, celſiſſimè, præruptiſque in montibus, quos vix quidem nos oculis audemus attingere, ſecurè paſcantur, non eſt audacia ipſorum, periculo ſuo major, nec aſcenſus præceps magis, quàm ruina certa, ac deploranda.

Caco

CXXV.

Cæco & claudo unâ conſpectis.

VErum iſtic eſt & naturale ſenſuum commercium. Cæco pedes ſunt, claudo oculi; Claudus cæco oculos cõmodat, cæcus claudo pedes; jamque movet uterque; aliter verò, quieſcant ambo, pereantque neceſſe eſt; uter horum plus alteri debeat, neſcio; hic vires dat, ille viam dirigit; utrunque motui æquè neceſſarium. Certè, ipſum hoc facultatum commercium, etſi aliis in rebus non ita liquidò pateat, illud eſt, quo vivimus, & ſine quo, ne mundus quidem poſſet ſubſiſtere; Hic cerebrum affert, ille brachium; linguam hic, ille manum. Qui ſolus novit cùr iſta omnia creaverit, ita etiam ſingula diſpoſuit, ut unaquæque pars communi totius univerſi beneficio, aliquid conferat. Quorſum optarim ego inutile quicquam; Si quid verò in me ſit quod aliorum bono inſerviat, non meum eſt, ilicet, ſed eccleſiæ. Abſque aliorum ope vivere non poſſum; Injurius eſſem niſi me aliis itidem æquè communicarem.

Visâ

CXXVI.

Visâ tabulâ orbis Geographicâ.

QVàm minutula eſt, parvæque lituræ ſimilis regio aliqua tota? Magna eorum imperia, qui Monarchæ audire volunt, facilè quis vel pollice uno tegat: Fruſtrà hicaulam ſibi quærat magnus ille Tartarorum Chamus, Mogores Indus, aut Ethiopum, quiſquis eſt, Imperator; ſatis eſt ſi regnum quiſque ſuum, inter tot orbis ſegmina, indigitare poſſit; Et ſi inſularum iſta fragmenta continentiſq; inſuper minutiæ, in unum colligantur, quàm nihil aliud ſunt hæc omnia, niſi punctum indiviſibile, præ vaſto cœli ambitu, quo cinguntur univerſa. Haud facile homini eſt patriæ ſuæ toti innoteſcere; quòd ſi forſan eo uſque fama ipſius pertingere poſſit, terræ tamen vicinæ nomen ejus prorſus inauditum eſt; vel ſi & illìc, per hominum ora volitare meruerit; partes ſaltem remotiores, tale quiddam eſſe in rerum naturâ penitus ignorant; Tandem verò ſi demus (quod tamen nemo unquam mortalium affecutus eſt) uno omnium ore ſolum celebrari, quanto interim eſt ille reli quis melior, beatiorve? O anguſtos terrenæ gloriæ fines! O inanem popularis auræ captationem; Solus ille, demùm, verè fœliciterq; celebris eſt, cujus nomen cœlo & notum eſt, & inſcriptum.

Ad

CXXVII.
Ad conſpectum cicutæ.

NVlla creaturarum ex ſe, ſuâque naturâ mala eſt, applicatione quidem ſiniſtrâ, vel optima quæque fit mala: uti &, e contrâ, peſſima fieri poteſt uſu ſalutaris. Herba hæc, quam nimia experientia venenoſam probavit; capro tamen benignum ſatis pharmacum eſt; quippe quæ frigiditate nimiâ febricitantis animalis calorem optimè temperet; Ita cercopithecus araneas liberè comedit; dapes hinc ſibi parans & remedia; Non eſt quòd ignorantia noſtra opificio Dei contumeliam inferat; vel ſi nos iſtoc auſi, ſatis novit ſumma ipſius ſapientia, hoc, quicquid eſt injuriæ, in bonum ſibi convertere.

Indubium planè eſt ipſum creaturarum venenum commodis uſibus inſervire; quanto magis qualitates earum beneficas: Siquid forte nobis noceat, in nos eudendum eſt ilicet, pro bono malum incautè, imprudenterque eligentibus.

Interim, Creatori laudes, creaturis vero æquam gratamq; comprobationem debemus.

Viſo

CXXVIII.
Viso Lilio.

FLos iſte ſatis ingratum præbet naribus odorem, cujus tamen radix adeo redolet, ut ab Heroinis delicatiſſimis inter aromata fragrantiſſima reponi ſoleat; Roſa, e contra, florem habet admodum dulcem, radicem verò planè inodoram : Crocus, flavas quaſdam virgulas emittit, non minùs ſuaves, quàm ſalutares; dum & flos, & radix ſenſui meritò diſpliceant; ut vegetabilibus hiſce fit, ſic pariter & metallis : Noluit Deus optima quæque ſemper oculis patere; neque, ex adverſo, præſtantiſſima quæque celari voluit : Scire nempe nos voluit eſſe ſe & clàm divitem, & palam beneficum. Si unoquoque Dei dono, ſuo genere ac loco, parùm utamur, amittit Deus debitas gratias, nos fructum, & beneficium,

De

CXXIX.

De arboribus duabus, altâ unâ, latâ alterâ.

QVæ proceriores ſunt arbores, rarò admodum expanduntur latiùs : E contrà, rariſſima eſt in latioribus plantis proceritas. Ambitione nimiâ laboraret illa plantarum, quæ utroque modo eminere contenderet. Idem & hominibus uſuvenit. Avarus, cui divitiæ maximo in precio ſunt, quique ad metalla ſeſe damnavit, ultrò honoris adſequi faſtigium parùm curat. Ex adverſo ſuperbus cujus animus honoribus ambiendis totus incumbit, præ his, divitias facile aſpernatur. Eſt quidem humilis frutex in valle ſubſidens, qui neque procerus, neque amplus eſt, neutri tamen invidet, utroq; longè fœlicior. Procerior nempe hæc arbor ædificiis ſtruendis, exſcinditur; latior verò illa, alendo igni, reſecatur; adde quòd tempeſtatibus utraque magis ſit obnoxia, dum arbuſtum humilius a venti invidiâ & ſecuris ictu, ſecurùm uſque creſcit, magiſque foverur indies, ut paſtori decumbenti tantillum umbræ præbeat. Eſto in ſummâ dignitate gloria; ſua eſt mediocritati ſecuritas; Ne mihi invidiam moveat unquam illorum optio, qui malètuti malunt eſſe, quàm inglorii.

Ad

CXXX.
Ad conſpectum ebrii.

FAcultas longè omnium præſtantiſſima, ratio eſt; & quæ, revera, ſola nos a brutis diſtinguit; ſine quâ, quid aliud eſt homo, quàm brutum bipes? Precioſa quæque uti teneriora vulgò ſunt, tantoque magis periculis obnoxia; ita præ aliis, ratio. Brevis quædam ἀγρυπνία, febris violentia, unumve, plus æquo, poculum, totam deſturbat, diſtrahitque. Quid de hoc animali (homo certè quidem non eſt) tandem dicemus? Externam adhuc formam habet, habet & cadaver, æquè perfectam; vitam ſortitur inſuper, ſortitur æquè & brutum; rationem, aut pro tempore penitus perdidit, aut ſaltem ita prorſus, quoad exercitium corrupit, vitiavitque, ut ipſa (fas mihi ſic loqui) brutalitas multò minùs dedeceat. Certè, beſtia naturalis, eò eſt morali minùs odioſa, quò cauſæ utriuſque differunt magis. Illum Deus ipſe fecit, hanc nos quidem ipſi; Nihil eſt quod brutum pudeat ſic fuiſſe conditum; hominem autem eſt quod maximè diſpudeat in brutum turpiter degenerâſſe.

Viſo

CXXXI.

Viso messore falcem coticulâ exacuente.

OCium luduſque animo, ut eos falci (*aciei* ſcilicet, quæ nimis aliter hebeſceret, exacuendæ) inſervire & ſolet, & debet; Quiſquis itaque totum temporis ſui ludo, ociove impendit, ſemper exacuit, nunquam metit; floridum illi fortè gramen eſt, equus famelicus; quique econtrà, ſine intermiſſione ullâ laboribus defudat, metit ille ſemper, exacuit nunquam; multum operæ nequicquam perdens; quid enim juvat falx, cui deeſt acies? Tum demum res bene ſuccedit, cum ita tempeſtivè, ac moderatè falx acuitur, ut ſcindere poſſit, atque ita ſcindit, ut cote interim indigeat: Sic mihi internutentur vices, ut neque hebeſcam labore, nec ocio nimio torpeam.

CXXXII.
Admoto ſpeculo.

CVm alterius faciem intueor, hominem video, qui & me viciſſim, æquè videt; At cum ſpeculum inſpicio, mei tantum imaginem, per omnia quidem mihi perſimilem, video, meipſum interea non video: Puerorum eſt, puerulum quem vident ponè ſpeculum latentem quærere; Ego nihil ibi ſubeſſe ſat novi; ſed & ſimilitudinem quoque variari juxta vel obſcuritatem, vel formam ſpeculi variam. Cum vel optimè ſumus diſpoſiti, non aliter nos Deum in terris videre poſſumus; Hic quidem clariùs ipſum videt, obſcuriùs ille, uterque in ſpeculo tamen. In cœlis Deum videbimus, non uti apparet, ſed ut revera eſt: faciem ejus intuebimur, quemadmodum & ille noſtram: Spiritus noſtri glorificata facies, glorioſiſſimam illius faciem, qui eſt Spirituum Deus, liberè intuebitur. Interea temporis, non frequentiùs fixis in ſpeculum oculis hærebit fœminarum ſuperbiſſima, vultum (quem ipſa credit formoſiſſimum) curioſè ſpeculando, quàm ego clariſſimum cogitationum mearum ſpeculum oculis uſurpabo meis, ut vultum illum Dei contempler, quem infinitè pulchrum, & ſplendidum eſſe novi.

Viſo

CXXXIII.

Viso ligni carioſi ſplendore.

QVam clarè micat lignum iſtud? in foco non ita radiabit, ac jam modò ſub mediis tenebris facit; Quàm pulchrum hîc eſt futuræ condicionis noſtræ emblema? Quamdiu lignum hoc arbori concreverat, nihil quicquam ſplenduit; jam verò, putrefactum, fulgorem illicò, & lucem emittit. Ita nos homines, quamdiu vitam iſtic degimus, toti & ſumus, & videmur miſeri; non citiùs morti ceſſimus, quàm gloria noſtra ſtatim elucere cæperit; Ecce tunc, & cæleſtis gloriæ fulgore coruſcat anima; & nomen noſtrum, in terris ſuperſtes, radios illos liberè emittit, quos anteà, aut prorſus ſuppreſſerat invidia, aut ſaltem obfuſcarat; Quid nunc ita creſcere nimis diſcupimus, cùm nos ex ipsâ quidem putredine tantum luerari conſtiterit.

CXXXIV.
Vsâ hederâ.

ECce istic fucati amoris verum emblema; Blandi hi sunt, sed fatales amplexus; quàm intimè herba hæc quercui se adjungit, arctèque amplexa, umbram præbet non ingratam; dum interea succum illi suffuratur clanculùm, vitamque tandem exugit. Talis est meretricis affectus, talis & parasiti. Da mihi veram, mutuamque vitis, & ulmi amicitiam; eam scilicet, quâ & viti melius sit, & ulmo nihilo pejus; Salutaris illa, nobilisque planta suffulcientem arborem non adeo rudibus ulmis circumplectitur, ut corticem ladere possit, succumve exhaurire. Vlmus e contrà debilem quidem illam, at generosam tamen alumnam, benignè sustinet.

Vt Deus, ita & homines satis norunt, amorem, non ex merâ professione, externisque ceremoniis (quæ vel simulatoribus excidunt sæpenumerò calidiores) sed ex ipsis actionibus, æstimare. Ille mihi inimicus non est qui nocere nollet; nec ego illi amicus, cui non cupiam benefacere.

CXXXV.
De febre quartana.

EXpertus ſum aliquando ea ipſa, quibus morbum contrahit ſanus, media etiam fuiſſe, quibus ægrotus ſanaretur. Febris quartana medicorum opprobium olim, nec immeritò, audiit; quam tamen, merâ crapulâ, non ſemel ſede ſuâ pulſam obſervavi. Eſt ubi dæmonum unus, alterius ejectioni operam elocat. Sed & idem etiam in animæ morbis comperi. Idem Deus, cujus juſtitia peccatum peccato plectere ſolet, non rarò etiam, (mirificè operante ipſius miſereordiâ) peccatum etiam peccato (juſtiſſimè, tamen) medetur: Sic ſuperbum turpiſſimæ (in quam inciderat) libidinis, pudore converſum aliquando novimus; ſic furioſè iracundum, temero quodam homicidio cicuratum vidimus. Non eſt quòd de pharmaco nimiùm laboremus, dum medici infinitam cùm artem, tùm poteſtatem intelligimus. De ſalute mea quid eſt quòd metuam, cum Deus mihi poſſit non ſalubribus modò, ſed & noxiis remediis opitulari.

CXXXVI.

Conspecto plaustro benè onusto.

PAtheticè admodum exprimitur illa Dei de peccatis Israelis, querimonia; Pressistis me plaustri instar tritico onusti. Plaustrum vacuum leviter decurrit, gravi vero pondere saburratum, difficulter & ægrè progreditur, gemitque sub pondere, altos terræ cedenti sulcos imprimens; Crepant rotæ, incurvatur axis, tota denique fabrica quàm maximè urgetur, opprimiturque. Omnia præter peccatum facilè ferre potest qui omnipotens est; Non patitur justitia ejus, ut miserecordia ipsius nimium prægravetur. Mirum non est si anima peccatorum conscia, dixerit, Major est iniquitas mea quàm ut ferre possim; cùm Deus ipse infinitus peccatorum nostrorum pondere se oppressum queritur. Absit tamen ut querelam hanc vanus quispiam putet ex potentiæ defectu, & non potius ex superabundantiâ misericordiæ profectam. Peccata nostra non possunt Deum quicquam lædere; nos lædunt ipsos gravissimè. Dolet ipsi cum ad pœnas nobis infligendas provocatur; Tum crepitare illi plaustrum videtur, imo frangi, cum justam de nobis vindictam sumere, quasi invitus, urgetur. Bone Iesu, peccata mundi universa humeris tuis impositа sunt, tu sanguinis grumos exudabas ubertim, tanto pondere

dere gravatus. Quid de me actum foret, si vel unicum de totâ illâ messe manipulum subiissem; cujus quælibet spica, imò vel unicum spicæ granulum, ad imum usque Barathrum animam meam deprimeret?

CXXXVII.

Viso quodam nano.

EX omnibus quotquot sunt, Dei beneficiis, quid est, quod is æquè omnibus impertire voluerit, nisi modò ipsum illud quòd sumus? Non eandem corporis mensuram, easdem ingenii vires, eandem memoriæ capacitatem, eundem decorem partium, eundemve aut divitiarum, aut honoris cumulum. Eodem etiam modo dona gratiæ suæ dispensavit Deus; Sunt enim nani spirituales, sunt etiam & Gigantes; Viri sunt perfecti, sunt & pueri, infantes, embryones. Imparitas hæc eo magis benignitatem, sapientiamque largientis extollit, & charitatem quoque, gratitudinemque recipientis exercet: Homines quòd sumus non in ipsâ corporis mensurâ consistit; pusillus quisq; æque homo est, ac proceritate eminentior; Ita etiam & spiritualiter sese habet; Quantitas gratiæ non est, quæ Christianum constituit, sed veritas; Illud mihi in votis erit, ut cubitos multos

ſtaturæ animæ meæ adjicere poſſim; hâc tamen interea firmabo me, ſolaborque confidentiâ, quòd ſciam, non poſſe me adeo humilem eſſe, quin ut cœlum aliquando attingam.

CXXXVIII.

Audito paulò importuniore mendico.

NOn malè profectò monuit, qui nos à mendicis orare diſcere conſuluit; Quanto zelo inſtat iſte? quàm fervidis votis, quàm efficaci importunitate, vim infert viatori? Cùm anteà ſilentio ipſum præterire propoſuiſſem, clamor rogitantis, verba mihi elicit; Alloquor, non alio quidem quàm excuſationum, minarum, increpationis, commotioriſque repulſæ ſono; ille, obſecrationibus, adjurationibuſque urget acriùs; nec deſiſtit, donec tandem eleemoſynam à me, quàmlibet reluctante, impetraverit; Quàm denudat ſibi ulcera, impotentiamque palam oſtendit, ut oculi etiam mei linguæ exoranti ſuppetias ferant? Quàm bellè rhetoricatur, miráque arte miſerecordiam mihi extorquet; ut vix mihi gratias nunc deberi ſentiam, qui, poſt tot, tamque potentes preces annuerim: Quidni & ego, ſic me Deo geram? Non minùs certè egeo, quàm qui mortalium omnium pauperrimus; ſed & gravius multò eſt inopia mea

meæ periculum; Eleemosynæ, quas peto, longè meliores sunt; Opulentia & misericordia largientis, immane quanto major? O Deus, cur tu ultrò mihi porrigeres quod rogare usque volens detrectaverim? Faxis, obsecro, egestatem meam verè persentiscam; tùm demùm, neque ego frigidè te rogare potero, neque tu, ægrè, quod petierim, erogare.

CXXXIX.

Viso pharmaco quodam.

QVàm nauseosum est hoc poculum? oculis, naribus, gustui quàm ingratum? cujus vel ipsa cogitatio, morbi quoddam genus est; Et ubi exhauserim, morbo ipso graviùs me affligit, hoc, quicquid est, remedii. Quanto dolore stomachum afficit, intestina torquet; vehementiorem in corpore intemperiem excitans quàm quâ prius laborabam: Sumendum tamen est, valetudinis ergò; neque revera adeo salutare foret, si minùs foret ingratum; nec me sanum deinceps præstaret, nisi priùs ægrotum præstitisset. Tales omnino sunt, & castigationes Dei & amici reprehensiones; Duræ forsan, pro tempore, ac molestæ, quæ tamen postmodò καιρὸν εἰρηνικὸν oportunè producunt; Quid ego nunc faciem indignabundus averto, oculos claudo, nares obstruo, & a certo morbi mei remedio, tantopere abhorreo? Cum Empiricos quosdam

quoſdam viderim, qui bufones diſcerptos audacter manducarint, moxque liquorem venenoſum liberè abſorpſerint, idque vel lucri tantilli, vel forte oſtentationis ſolius causâ.

Sola quædam imbecillitas, animique parùm audentis anxietas, faſtidioſi hujuſce affectus rea eſt; Quin ego alacris mihi ſumo, totumq; exhaurio amarum afflictionis poculum, quod ſapiens & benignus Deus, in animæ meæ ſalutem ægro miſcere voluit.

CXL.

Ad conſpectum Rotæ.

DIriſſimè quidem hoſtibus Dei imprecari voluit Propheta, dum ait; O Deus, facito eos rotæ ſimiles; quo quid aliud innuere potuit, niſi condicionis eorum inſtabilitatem, ſubitique demum judicii violentiam? Iſti nimirum rotæ radii, qui nunc ſurſum feruntur, jam dicto, aut cogitatione citiùs deorſum volvuntur; moxque elevantur, ut illicò deprimantur denuò: Neque ullus dari poteſt motus æquè velox, rapiduſque, ac circularis. Magnam arguit Dei benignitatem, quòd in pœnis infligendis moras nectere ſoleat, ita nos puniens, ut reſipiſcentiæ adhuc tempus ultra indulgeat; In hiſce ſuppliciorum ſpaciis, gradibuſque, vita aliqua & ſpes reſidua eſt; at rapidiſſima illa vindicis Dei judicia, nihil planè, præter furo-

rem,

rem, confusionemque æternam præ se ferunt. O Domine, in excandescentiâ tuâ ne me redarguas; Castigationes tuas deprecari non possum; Correctionem certè quandam peccata mea necessariò efflagitant; Ego iram tuam supplex deprecor; Castigas tu nempe, quos amas; Ita me verberes, quæso, ut dum vibices tuas dolens sentio, in miserecordiâ tuâ lætus acquiescam.

FINIS.

IOSEPHI
EXONIENSIS
HENOCHISMVS:

SIVE,
TRACTATUS
De modo ambulandi
cum DEO.

LONDINI,
Impensis NATH: BUTTER.
M. DC. XXXV.

DOCTO AC CELEBRI CLERO DIOCESEOS EXONIENSIS:

Pacem & Gratiam.

VAcabat mihi pridem, uti noſtis, per menſes aliquot, durante Reverendiſſimi Archipræſulis viſitatione Merropolitică; Non potui interea nihil agere; Meditatiunculas igitur meas vertendas non illibens ſuſcepi; hunc etiam, præter alia quædam, meditatus in-

ſuper Henochiſmum; quo nihil cogitari potuit utilius, nihil ſalutarius. Soluti nunc ferè ſunt calami omnes in polemicas quaſdam ζητήσεις, μώρας quidem illas, plæraſque, καὶ ἀπαιδεύτους; & ubi nihil eſt litiũ, cum Plautinis Leguleiis, lites ſerunt : friget interim pietas, ſanctequè vivendi ratio quaſi ἀπροσδόκητον quiddam, vulgò negligitur. Tædet me planè miſeretque harum turbarum, quibus miſerè agitatur orbis Chriſtianus; utinam vero opis noſtræ foret, illas, non dico, votis, ſuſpiriis, lachrymis, ſed quovis aut ſudore, aut ſanguine

guine demùm ſedare.

Deus, Deus, (qui ſolus poteſt) iſtoc accuret ſcilicet; Demus nos interim, fratres, quãtum poſſumus, operam, ut ad verum practicæ pietatis ſtudium, hominum animos, a vanis hiſce vitilitigationibus, revocemus. Illud eſt quod me iſtic videtis moliri, quodque, quamdiu ſuperſtitaverit mihi Deus hanc provinciam, moliturum deinceps ſanctè ſpondeo; Vos, quod olim ſuis commilitonibus Gedeon, facite pariter ac me feciſſe cernitis. Cœlum eſt quod quærimus; illô autem non diſputando qui-

dem, ſed credendo, & benè vivendo pervenitur. Pauca ſunt illa fidei capita, quæ Chriſtiano cuique ad ſalutem creditu neceſſaria ſunt, nec vero difficilia; O ſi in illis humiliter, tacitéque acquieſcere diſceret plebs Chriſtiana; de reliquis haud nimis interim ſolicita; quodque ſupereſt temporis, piis officiis, boniſque operibus fœliciter impenderet. Illud, fratres chariſſimi, ſtrenuè navemus operam, ut fiat; curemuſque ſedulò, ut ſanctiſſimis probæ vitæ exemplis ita populo præluceamus, ut, vel ſic, noſtros cum Deo ambulare

lare doceamus, cum ipso demùm unà æternùm regnaturos.



Tractatus iste

- *Docet*
  - *Rem*; in qua consistit ambulatio hæc; Innuitur autem hâc,
    - *Præsentia* cũ Deo: ejus nempe
      - apprehensio.
      - agnitio; ex qua
        - Timor quidã sanctus, ac reverentia.
        - Studium approbationis divinæ.
    - *Familiaritas* quæ in multis dispositionibus & officiis cernitur; qualia hæc sunt.
      - Appropriatio Dei fidei actu.
      - Colloquium cum Deo,
        - Injectione bonarum cogitationum.
        - Piæ animæ responsione.
      - Consultatio Dei in dubiis quibusque.
      - Petitio in necessariis.
      - Repositio in ipsius providentiam.
      - Recognitio beneficiorum.
      - Fruitio Dei in bonis quibusque.
    - *Motus* cujus
      - Pars externa & interna simul,
        - Praxis obedientiæ activæ.
          - in immediatis Diuini cultus exercitiis.
          - in vocationis nostræ muniis.
        - Declinatio mali cujusq;
      - Pars interna
        - Relatio in Deum.
        - Deditio nostri in Dei manus.
        - Plenioris fruitionis ambitio sancta.
  - *Modum* ambulandi cum Deo, *sc.*
    - Unicè.
    - Rectà,
      - quoad pedem.
      - quoad viam.
    - Alacriter.
    - Constanter.
- *Incitat* ostendens quàm
  - Honorificum
  - Jucundum
  - Tutum
  - Utile
  - sit ita cum Deo ambulare.

HENOCHISMVS, *SIVE* TRACTATVS *DE MODO AMBVLANDI CVM DEO.*

QUid est quod ambire debemus Christiani, nisi ut hîc sancti simus, alibi fœlices? ecce istîc utrunque nobis præit, nobile exemplar, *Henochus*; sanctus erat, ambulavit cum Deo; fœlix, abstulit eum ad se Deus; sanctitatē illius consummavit fœlicitas; fœlicitati viā stravit sanctimonia; finē non potest non assequi, quisquis ingreditur viam: non est quòd in virum inquiramus curiosiùs; illud unum meditemur quod & arguere san-

ctum potuit, & præstare fœlicem; ambulationem intelligo cum Deo; summam terrenæ sanctitatis, spiritualis rei fastigium; Agedum igitur & directionis ergò & solatii, quid sit ambulare cum Deo, seriò disquiramus.

Ambulare vero cum Deo quid aliud innuit nisi Præsentiam, familiaritatem, motum: persona non variat modum; illud nempe suggerit nobis ratio, quisquis fuerit qui nobiscum ambulaverit, necesse fore ut præsto nobis sit, ut familiari quadam ratione sit præsens, ut vestigia nobiscum pariter commutet, commentiaturque. A præsentia ordiamur. Ambulavit *Abrahamus* coram Deo, cum Deo *Henochus*; præsentiam certissimam præsupponit utrunque; præsentem sanè nobis semper adesse Deum dubitari non potest, ubique is est; nec

quo

quo loco excluſus, nec incluſus mundi ambitu, terram cœlumq; infinita majeſtate implet, ac complectitur; de noſtra cum illo præſentia nunc agitur; Jubemur nos ſcilicet non ſemel appropinquare Deo; quaſi ab ipſo nimis & mente, & affectibus elongati.

Ut nos igitur ſanctè ſiſtamus Deo; duo requiruntur; recta imprimis divinæ majeſtatis apprehenſio; ac vera de in præſentis agnitio.

Et primo quidem in loco, illud expedit, ut animis noſtris intimè imprimatur debita quædam (pro captus noſtri modulo) immenſiſſimæ deitatis apprehendendæ ratio; ſine qua merum profecto imaginationis noſtræ Idolum pro vero Deo adorabimus; Ubi evigilavero, inquit Pſaltes, imagine tui ſatiabor; ecce procul omni Idololatria, imagi- Pſal. 17. 15.

nem

nem numinis divini, ſacram illam quidem,& (pro natura Dei) ſpiritualem; quæ nihil aliud eſt quàm ſimpliciſſima quædam Idea, & abſtractiſſima, animis noſtris infigenda divinæ majeſtatis recognitio;puræ nempe oportet conſtanterque admirabundæ menti noſtræ uſque inſideant de Deo cogitationes; quales tantam decent gloriæ immenſitatem: repreſentemuſque non tam intellectui noſtro quàm fidei infinitum, ſpiritum ſpirituum Deum; eſſentia unum, diſtinctum glorioſiſſimis perſonis;actum puriſſimum; lucem ſpiritualem, principium entitatis omnis æternum, vitæ motuſque authorem incomprehenſibilem omnipotentem opificem,moderatoremque univerſi; totum potentiam, totum ſapientiam, totum juſtitiam, bonitatem totum; bonitatem

tem vero, justitiam, sapientiam, potentiam, essentialem vivamque: a certa lucidaque notione gloriosæ humanitatis divinissimi mediatoris, assurgentes ad contemplationem infinitæ deitatis, cui illa sacro-sanctissima natura adunitur: Nimirum hæc ipsissima basis est omnis veræ pietatis; neque tam dux viæ est, quam ipse oculus quo dirigimur, ipsum solum cui insistimus: sine quo, ambulamus quidem sed quod dicitur ἐκτὸς ὁδοῦ, ambulamus, sed cum phantasmate nostro, non cum Deo. Vereor equidem ne istinc nimis multi qui magnos in re Christiana se progressus fecisse autumant, vel constitisse planè, vel haud parùm certè aberrasse tandem deprehendantur; unum profecto liberè ausim accusare; memet ipse comperio vel justo hujusce apprehensionis modo nimis

mis imparem, errori proclivem admodum : difficillimum quidem ſentiens cogitationes animi vel rectè collocare, vel ſic locatas figere demum, ac ſtabilire; nunc ſanè neceſſe habeo queri de nimia cordis anguſtia; qua fit ut deitatem immenſam, intra quoſdam quaſi terminos impotenter coercere videar; nunc vero de inerti quadam animi vacuitate, triſtique incogitatione, nunc de neſcientiæ tenebris, nunc deniq; de falſa vani intellectus luce, perperam mihi Deum referente; quæ omnia ſedulò cavere debet, quiſquis cum deo ambulare ſtudet : Quòd ſi quis propriæ intellectionis lumine ſalutares haſce notiones acquirere ſperaverit; næ ille fruſtra fuerit, operamque luſerit miſerrimè : e cœlo, a patre luminum petenda, expectandaque eſt divina hæc irradiatio.

Qui

Qui pedes largitur, ut moveamus, & oculos largiatur oportet, quibus inacceſſæ lucis habitatorem quadamtenus adſpiciamus: Sine ipſo, ut cum ipſo ambulemus impoſſibile eſt.

Apprehenſionem quandam habitualem immotamque deitatis neceſſariò comitatur præſentis agnitio: non minùs certa quidem illa & ocularis, quam cujuſpiam hominum, quîcum ſenſibili modo palàm, & apertè converſamur; nempe hoc eſt videre inviſibilem illum; ipſumque mentis acie non minùs clarè adſtantem intueri, quàm quodcunque viſibile objectum, quàm cœlum terramve corporeis oculis uſurpamus. Illud ſatis conſtat, e materiali, ſpiritualique ſubſtantia, corpore & animo conflatum eſſe quod nos hominem appellamus; utrique partium ſui ſunt ſenſus,

objecta ſua; nimiùm vero nobis deerimus, niſi dum corpuſculum hoc rebus corporeis, ſimilibus ſui, occupatur, & ſpiritus itidem noſtri cum puriſſimis ſpiritibus, præſertim vero ſpirituum Domino commercium exerceant; fœlicitatem nobis olim perficiet illud unum, videre ipſum uti eſt, videre eum ut is nos videt, mutua quadam fruitione noſtri; debilis ergo fidei obtusâ acie præſentem contueri, non poteſt non fœlicitatem nobis interea ſuaviter inchoare. Viſibilem quemq; ipſæ cernunt beſtiæ, quarum aliquæ longè ſunt hominibus perſpicaciores; ſpiritum verò ſimpliciſſimũ conſpicari nobis ſemper obverſantem, oculi eſt illuminati divinitus. Interno fit hoc & ſenſu & lumine, non hoc quod nobis cum brutis animalibus commune eſt; etiam cæcus ille

Didymus

Didymus Alexandrinus hoc ſuo tempore feciſſe non parum geſtiit; & omni ævo quo quis ſanctior fuit, eo clariùs præſentem ſibi Deum conſpexiſſe perhibetur. Venditant nobis hiſtoricorum fabulæ quoſdam mira præditos ſpirituum videndorum facultate; ſed & collyria quædam fingunt ſibi aniculæ, quibus hoc poſſe fieri ſomniant; ecce quod ſuperſtitioſuli iſti perperam delirant, reapſe certiſſimè indies factitatum; nemo non regenitorum Deum ipſum ſibi præſentem, non minùs clarè, certòque, quam ſuam ipſius carnem contuetur.

Neque verò præſentem modò nobiſcum agnoſcimus Deum, ſed & in ipſo vivere nos ſemper & movere perſentiſcimus; Verè ſuos Athenienſes docuit Paulus (ὑ μακρὰν) non procul ab unoquoque noſtrum abeſſe quem non

cernimus,

cernimus, Deum; Imo ne nos quidem ita nobis intimi ſumus, ac nobis ipſe? Quis noſtrum vitam ſibi indulſit, creator ſui? Quis ſibi vel tantillum intra fauces continere animam poteſt? Quis motricem indidit animæ facultatem? quis dedit exercere? Aliter tamen homo ψυχικος Deum in ſe, ſe in Deo viventem, motitantemque ſentit, aliter regenitus; Renatus quidem vitam agnoſcit, motumque ſpiritualem ac divinum, carnalis vero naturalem prorſus, indolique ſuæ congruum. Qui duplicem ergo in Deo vitam, motumq; ſortimur, & naturæ, & gratiæ, quin ipſum in quo bis ſumus, fideliter uſque agnoſcimus; & ſine quo nec eſſe nec movere poſſumus, cum ipſo conſtanter ambulamus.

Agnitam hanc omnipotentis Dei præſentiam neceſſariò ſequetur

quetur primo in loco humilis quædam reverentia & ſanctus tremor; nec cui vero ſiſtimur principi viro, quin venerabundo quodam timore nos affici ſentimus; quanto magis ubi verendiſſimam Dei majeſtatem nobis præſentem cernimus?

Visâ cœleſti illa Angelorum ſcalâ, evigilans Patriarcha, *Quam tremendus eſt, inquit, iſte locus?*

Ecce ſanctum *Iacobum*, ad ipſius loci, in quo ſe Deus repræſentari voluit, conſpectum, piè contremiſcentem; vixque ſe continentem, quin ſolum ipſum, in quo machina illa Angelica figi viſa eſt, pronus adorârit; quo demum ſtupore, divinæ illius gloriæ, quæ in ſummitate ſcalæ reſplenduit, radiis, perculſum judicabimus? Certè, uti ſemper nobiſcum Deus eſt, ita nunquam non aliter adeſt, quàm incomprehenſibiliter

ſibiliter glorioſiſſimus: neque agnoſci a nobis unquam poteſt, niſi ſacro quodam metu concuſſis, quaſique adorabundâ tantæ majeſtatis admiratione planè abſorptis.

Ego verò non parùm vereri mihi videor, ne hic affectus animi non ita, uti par eſt, apud Chriſtianorum plæroſque obtinere ſoleat; De magno illo & omnipotente cœli numine, & ſentire, & loqui aſſolent non pauci, ſtupido quodam neglectu, temeraque, & incurioſa familiaritate; haud unquam, niſi ubi tonuerit, ad potentiam ipſius pertremmentes, nec quo metu infinitæ deitatis unquam confuſi, niſi cum inſigni aliquo judiciorum ſuorum ſpecimine ſeſe terribilem exhibuerit. Ecce ſeraphici illi ſpiritus faciem ſibi abſcondunt alis, fulgorem præſentiæ divinæ intueri

eri parùm ſuſtinentes : quorum tamen unuſquiſque, ita totus gloria, ac majeſtate ſplendet, ut meritò quidem Manoah, horum uno ſemel conſpecto, de vita ſua ſubinde deſperaverit; nos vero, cinis, ac pulviſculus, faciem glorioſiſſimam illius, qui horum ſpirituum Deus eſt, audaci fronte, negligentibus oculis, ſecura mente intueri non dubitabimus? Difficile profecto judicatu eſt, pejuſne fuerit Deum præſentem non agnoſcere, vel agniti præſentia parùm affici reverenter: quorum illud, ſtupidæ cujuſdam negligentiæ eſt, hoc impii cujuſdam ſtuporis; quædam certè in utroque Atheiſmi ſpecies deliteſcit.

Secundo in loco, ſanctum obedientiæ ſtudium, divinæque approbationis ambitioſa quædam cura, ac ſolicitudo; Enimvero qui

qui tam potentem Deum ſibi perpetuò præſentem agnoverit, næ ille parum auſus fuerit quicquam præſtare, quod tanto numini diſpliceat, quinimmo dabit operam ſedulò, ut a ſummi Judicis miſerecordi manu fidelitatis ſuæ lauream reportare mereatur: quicquid vero agendum ſuſceperit, ex animo ſuo anxiè ſciſcitabitur clanculum; *Quomodo hoc Deo meo arridebit?* Mandavit olim Abrahamo Deus, *Ambula coram me, & rectus eſto*; præcepti pars una, ſubinfert alteram; non poteſt non eſſe rectus quiſquis coram Deo ambulaverit: Gnaviter oportet ſit impudens, qui coram viro, coram puerulo peccare auſit; ſed ubi juſtiſſimus, potentiſſimuſque vindex adſtare cernitur; atque ἐνδικον in nos ἐυμα conjicere; quis non illud uſurpet Joſephi; *Quomodo*

do faciam malum hoc grande ut pec- Gen. 39. 9.
cem contra Deum?

Et de præsentia quidem hactenus; altera sequitur ambulationis hujusce statio, *Familiaritas*:

Præterire solemus ignotos, superiores a tergo insequimur, cum solis amicis ac familiaribus ambulamus; Henochus igitur, & quilibet vere Christianus, non post Deum modo uti assecla, sed, cum Deo, uti socius, honorificè coambulat; Amicus Dei salutatur Abrahamus; eodem plane titulo (excelso quidem illo, & qui vix mortali cuiquam competere posse videretur) discipulos suos compellat Christus; Talem honorem sortiuntur omnes sancti ejus; Ambulare igitur cum Deo quid aliud innuit, quàm cum ipso, velut amicorum intimo, blandâ tremulaque quadam familiaritate conversari; familiaris ve-

ro

ro hęc cum Deo conversatio in multis quidem consistit, piis dispositionibus, ac officiis, quæ in sacrosancta hac ambulationis hujusce statione, totidem quasi stadia meritò dixerimus; Quorum primum illud est, Jus nostrum (ut cum leguleiis loquar) ad Deum, in Deo firmiter nobismet stabilire; Quid enim quæso iuverit apprehendisse Deum infinito plane essentialique modo sapientem, potentem, justum, miserecordem? quid præsentem nobiscum agnovisse, nisi ipsum & nostrum insuper esse persenserimus? Certè, absque hoc omnia illa glorioſissima Dei attributa nihil aliud nisi terrorem nobis & incuterent, & aggravarent; absque hoc foret, ambularemus Deo a longè; cum Deo ambulare nec ausi quidem: a longè, ut alieno, ut inimico; non cum

ipso

ipſo ut amico, ut Deo: Quid mihi demùm profuerit alterius Deus? Væ mihi niſi Deum habuero de proprio; Nihil mihi profectò vel tutaminis eſſe poteſt, vel ſolatii, donec dicere poſſim cum Didymo illo, jam fœliciter reſtaurato, *Dominus meus, Deus meus*; & cum Prophetâ; *Iehovah juſtitia mea*; Et hoc quidem fidei ſtadium eſt, latè ſeſe porrigens, cùm ad apprehenſionem illam, agnitionemque Dei, quam modò pertranſivimus, tùm ad reliquas actiones, diſpoſitioneſque ſacras, quas deinceps ſumus tractaturi.

Fidelem hanc Dei appropriationem ſequitur perpetua quædam mutui cum Deo colloquii familiaritas; neque vero exiſtimare debemus ambulationem hanc planè mutam, prorſus ve taciturnam, ſed ſuaviſſimis Dialogiſmis plenam; piam animam al-

loquitur ſemper Deus, anima Deum.

Deus animam, continuâ gratiæ excitatione, ſanctarumque motionum injectione frequentiſſimâ; anima Deum, aſſidua meditatione, gratię acceptilacione, repromiſſione obedientiæ. Suggerit Deus, Quærite faciem meam; regerit anima, Faciem tuam quæremus, O Deus: Ilicet hæc ſpirituum lingua eſt; ſic ſe ſolent illi gratioſis, diviniſque rejaculationibus mutuò excipere; & hoc illud eſt Bernardi dulce ſuſurrium cum Deo quo poſito, impoſſibile planè eſt ut fidelis quiſquā vel ſolus ſit, vel otioſus.

Et hoc quidem ſtadium ſecundum eſto.

Familiaris hujuſce collocutionis gratiam ultrò ſequetur certiſſima libertas, & conſulendi Deum in dubiis, & rogandi in neceſſa-

neceſſariis: Quicquid occurrerit, ad Ephodis oraculum recurriſſe ſemper Davidem conſtat; ſed & pius ille Jehoſaphatus, ubi de re modò militari (expugnanda Ramothe) quęſtio incidiſſet, non tam belli duces, quam ſanctos Dei prophetas cenſet adeundos; Teraphim ſuos percontatur Laban; Endorem petit illico, pythoniſſam conſulturus impius quiſpiam Saulus; cordatus quiſq; ac bonus, unum ſcitatur Deum: & is nobis adſtat, & verbum illius nobis ad manus eſt; non eſt quod enthuſiaſmos, fanaticaſque revelationes cogitemus; æternùm præſens eſt conſiliarius Davidis, pariter & noſtri; Teſtimonia tua (אַנְשֵׁי עֲצָתִי) viri conſilii mei. Quicunque demum caſus (quem appellant) conſcientiæ neceſſarius ad Chriſtiani hominis ſalutem obtigerit, is ſpiritu Pſal. 119. 24.

ſuo, per vocem verbi ſui nobis reſpondente, ac definiente, clarè certòque determinat.

Conſulendi facultatem comitatur liberrima quædam ſupplicandi licentia, praxiſque aſſidua; Illud eſt quod Apoſtoli manu jubet Deus, Orare ſemper. Non ita cordi fuiſſet Deo Propheta ille regius niſi hoc feciſſet perpetim; Venio, inquit, ante te in ipſo crepuſculo ut vociferer; Sed & elevatio manuum mearū ut munus veſpertinū; Quid ego mane loquor ac veſperam? Septies hoc factitatum in die; Sed quid adhuc vices numero? Invoco te, inquit, Jehova, totum diem; Gratiam fac mihi, Domine, quia te inclamo toto die, Breviculum adhuc eſt lucis ſpatiolum; O Jehova, Deus ſalutis meæ, interdiu clamo, & noctu coram te, ſcilicet ſic factum oportuit; Quo demum

Pſal. 119. 147. Pſal. 141. 2 Pſal. 119. 164. Pſal. 88. 10 Pſal. 86. 4. Pſ. 88. 2, 3.

demum ſtylo alio compellarit mendicus regem? mendicus miſerrimus, rerumque omnium egentiſſimus, regem munificentiſſimum, ditiſſimumque; qui rogari, largirique cupit maximè; qui quod donat, poſſidet interea; & cui quanto plus deceſſerit, nihil ſuppetit minus. Eximium vero eſt hoc ambulantis cum Deo privilegium; poſſe ſe in quibuſcunque periculis, ac anguſtiis in ſinum Dei liberè conjicere, ab ipſoque & opem expectare, & ſolatium: Huic igitur rogandi libertati proximè adjacet fiduciæ noſtræ exercitium; quâ, pro nobis, noſtriſque in Dei providentiam parùm anxiè recumbimus; Hoc ſe ab ipſis matris ſuæ uberibus uſque feciſſe profitetur charus Deo Pſaltes: Quam illuſtre erat illud ſanctæ confidentiæ ſpecimen; Ziklagum & ſpoliarat

hoſtis, & abſumpſerat incendio; uxores cum ſupellectile tota prædæ loco abduxerat; magnumque ducem Iſraelis non minus nudum reliquerat, quàm, cum pedo inſtructus & baculo, paternis olim ovibus invigilaverat: Quid vero ad hæc vir ſanctiſſimus? *At David roboravit ſe in Domino Deo ſuo*; Illud eſt quod ſuadet Apoſtolus, ſolicitudinem noſtram omnem in Deum conjicere, cui curæ ſumus; Et ſane fruſtra cum Deo ambulare ſimulaverit, qui ſe totum Deo concredere ſicque fidei vitam degere detrectaverit; Apage noſtram ſive diffidentiam, ſive ἀντιπιστειαν; dum nos crudeliter torquemus curarum illarum eculeis, a quibus miſerationum Deus liberos eſſe voluit; Quin reponimus nos alacres in εὐδοκιαν boni Dei; quovis eventu probè contenti; eodem vultu manu-

1 Sam. 30. 6.

manuque eadem, & bonum, & malum ab ipſo recipere paratiſſimi : Dominus eſt, faciat quicquid ipſi viſum; vox erat digna ſancto ſene: Quam lubenter, placideque, jubente Deo, montem aſcendit mitiſſimus piiſſimuſque Moſes, ibidem moriturus; non alio profectò animo, nec pede alio conſcenderat ille prius montem ſacrum, legem a Deo recepturus, quàm modò mortem: Par illi viſum eſt utrunque, vocante, quicum ambulaverat, Domino.

Fidelis vero in Deum repoſitionis, certæque fiduciæ ſucceſſum nemo Chriſtianus ſenſerit, quin illico gratam beneficiorum Dei recognitionem vovendam ipſi retribuendamque cenſuerit; Ex altari igitur puri cordis meritò quidem offert Deo ſanctus quiſque, juge ſacrificium laudis; Recens quiſque beneficentiæ

ſenſus renovare nobis debet animi gratitudinem, elicereque novas gratiarum ejaculationes; ſecretaſque læti cordis ad munificum in cœlis benefactorem elevationes; A ſomno, mane primo expergiſcimur? quin ſublatis in cœlum animo, oculis, manibus, benedicimus deo noſtro, qui nobis & quietem indulſit, & reddidit lucem. Diſcumbimus menſæ, ſaturive aſſurgimus? quin laudamus magnum mundi patremfamilias, qui nobis & cibum, & ſtomachum conceſſerit? Ubi jam adveſperaſcit, lectulo decumbimus? quin celebramus ſummam Dei benignitatem, qui præteritum nobis diem fauſtum præſtiterit; Eximus tantillum, proſpicimuſque vaſtum cœli fornicem, nos a longè ambientem, immenſumque pavimentum terræ pedibus noſtris protenſum,

quin

quin potentiam, ſapientiamque illius, qui molem tam ſtupendam fabricaverit, veneramur? Peregrinus profecto eſt, cùm Deo, tùm ipſi ſibi, qui non omnem arripit anſam laudandi creatoris ſui, redemptoriſque; parumque ſenſerit ſibi animum novæ cujuſque beneficentiæ radiis incaleſcere.

Denique ubi omnia quæ perceperimus beneficia divinæ munificentiæ accepta lubenter retulerimus, illud unum reſtat ad ſacram hanc familiaritatis ſtationem plenè perficiendam, ut bonis quibuſque receptis in Deo fruamur, Deoque in bonis vice verſa; non autem bonis in ſe; quæ, dum in ipſis mens tota acquieſcit, naturam ſuam mutant illico, bonitatemque priorem prorſus abdicant; Ecce modò, quantum renatus homo epicureum quodq;

ſenſuum mancipium præcellit; hic nempe non ultra meram reſpiciens creaturam, uti totus eſt caro, rebus in ſe ſolis, non ſine anguſtâ quadamque, incertâque voluptate, perfruitur; ideoque, ubi proſperè ſuccedunt omnia, falsâ delectatione delinitur fortè nimis, verſo demum fortunæ pollice, malis obruitur miſer; nimirum quî poteſt ullam ſibi certitudinem polliceri, qui rebus innititur incertis, caduciſque? ille vero, qui mundo utitur, fruiturq; Deo, nec proſperis efferri, nec dejici adverſis unquam poteſt, ſiquidem Deus ſuus ſibi ſemper ſimilis ſit, ſupraque modum tranſcendat illud, quicquid fuerit, quod creatura vel infligere poteſt, vel impertire; Magnus proculdubio vir erat, ſuo ævo, Henochus, & (prout tunc ferebant tempora) nobilis, dives, potens;

Sed

Sed & ille edebat, bibebat, dormiebat, relaxabat animum vicissim, conjugalique societate modestè usus erat, prout solebant alii; neque tamen efficere potuerunt hæc omnia, quò minùs ambularet Henochus cum Deo; nimirum ita se ille rebus hujusce seculi commodavit, ut in illis interea Deo suo frueretur; Ut paucis ergo rem contraham; si jus nostrum ad Deum, in Deo stabilierimus, si mutuis illum exceperimus alloquiis, si in dubiis omnibus consuluerimus, si solicitaverimus precibus assiduis, si in illum fidenter recubuerimus, si beneficia ipsius universa grato animo recoluerimus, si denique ipso in bonis quibuscunque fructi fuerimus, sancta quadam familiaritate Deo nostro cõversabimur, atque ita cum ipso ambulabimus.

Ultima

Ultima sequitur statio, quæ motu absolvitur; Ambulare enim quid nisi moveri est? Neque vero dicitur Henochum Deo adstitisse, assedisseve; sed cum Deo ambulâsse; certè igitur motu quodam continuo exercebatur Henochus; sanè vero peripatetici sunt fideles quique; Quæ ipsis via est? non alia quàm mandatorum Dei; Qui gressus? non alii quàm actus obedientiæ: ἄπος εἶναι; externa omnis cœlicæ hujus ambulationis motio in actione consistit; Quæ vero illa, nisi boni cujusq; a Deo præcepti observatio sedula; malique omnis prohibiti solicita declinatio? sed & bonum hoc a Deo nobis injunctum, & pietatis officia, & justitiæ insuper, charitatisque, ac in vocationibus nostris diligentiæ, exercitia complectitur.

Scilicet agendum nobis Christianis

ſtianis eſt, non ſpeculandum: Quæ hactenus percurrimus ſancti hujuſce ambulacri ſtadia, cognitio deitatis, præſentiæ agnitio, offenſæ metus, ſtudium approbationis, appropriatio quædam Dei, colloquium, conſultatio, petitio, fiducia, beneficiorum recognitio, ac Dei denique fruitio, ejuſmodi ſunt quæ quoniam & intimo profitentis ſenſu ſolo judicentur, & voce externa facillimè exprimi, ac venditari poſſint, non rarò, nec vero difficulter ſimulari ſolent; Arrogant ſibi vulgò pias haſce diſpoſitiones hypocritæ illi, qui actionibus interea ſuis haud ægrè diſcerni ſeſe patiuntur. Ex fructibus cognoſcetis, eos, inquit Chriſtus; non ex cortice quidem profeſſionis externæ, non ex verborum foliis; ſed ex fructibus ſolis ferendum de arboribus hiſce judicium; non

noſtrum

noſtrum modò, ſed & ſupremi illius rerum arbitri, pro tribunali noviſſimo; Coram hominibus & Deo ſilent verba, facta loquũtur, imo clamant: Juſtus ille paterfamilias neminem ferre poteſt deſidioſum, & inertem; Iracunda erat illa olim expoſtulatio *Quid ſtatis toto die otioſi?*

Movendæ ſunt manus, pedes movendi, niſi cum Deo nolumus ambulare; Praxis vero hæc ambulatoria, non modò immediata, quibus Deum colimus, officia; ſed & opera vocationum noſtrarum complectitur; Etenim ut bonarum illarum diſpoſitionum, quas modo tranſegimus, ratione, ſemper converſamur Deo, neque unquam ab ipſo nos abeſſe ſinimus, ita aliquando quodam intimiore (ut ita loqui fas ſit) modo, illi ſiſtimur, & cum ipſo agimus; ubi propriis cultus divini exerci-

tiis

tiis toti occupamur; precatione, nempe ſolenni, verbi ſacroſancti auditione, lectioneq;, Sacramentorum communicatione, ac jugi meditatione denique; in quorum quidem ſingulis quilibet verè Chriſtianus, & frequentiſſimè, & devotiſſimè verſari & ſolet, & debet: Alibi ſemper cœlum in nobis eſt; atqui, iſta dum fiunt, nos in cœlo ſumus; Nemo vero interea cogitet, dum neceſſaria quæque vocationis noſtræ munia ſoliciti obimus, abeſſe nos tantillum a Deo, parùmque cum ipſo, tunc temporis, ambulare: vana ſunt hæc cerebroſorum hominum deliria. Apage imaginarias haſce inter nos & Deum inimicitias; non ita nobis profecto inter nos diſconvenit, quin ut eadem opera utriſque vacare liceat: Si negotiis quibuſque ſecularibus neceſſario renunciandum illi fuerit,

erit, qui Deo ſervire voluerit; quin totus orbis unum fit monaſterium; quin in Euchitarum hæreſin ruimus omnes boni; Dic mihi ſancte Paule, quid tibi cum conſuendis tentoriis; ſi pellibus unà operam dare non potueris & Deo? Ubi eſtis monachi ſanctiores priſci ævi, qui labore manuum, vultuſque ſudore victum comparaſtis; cumque votis opera ſuis vicibus, commutanda cenſuiſtis?

Certè non eſt quod pietas nos faciat negligentes, aut vero frugalis diligentia, impios; Debitus Deo cultus, vocationiſque noſtræ cura, ita non poſſunt non conſiſtere, ut niſi horum utriq; incubuerimus, cum Deo ambulare nequierimus.

Vix finita eſt illa farrago officiorum, quæ charitas & juſtitia a nobis expoſcunt; nolo Decalogi

analyſin

analyſin ullam inſtituere; a ſuis iſta claſſibus petenda ſunt; illud modò monuerim, omnia quæ in illa lege uſpiam occurrunt virtutum exercitamenta, totidem eſſe in ſacro hoc ſtadio, ſeu paſſus, ſeu veſtigia; quæ ſuo quidem tempore ac loco metiri tenetur quiſquis ambulat cum Deo.

Univerſalem hanc ſanctæ obedientiæ praxin aſſiduam, neceſſariò comitabitur ſolicita quædam, mali omnis, quod tanto numini diſplicere poſſit, declinatio; quiſquis ergo cum Deo velit ambulare, fœdus ſecum, facultatibuſque ſuis omnibus & ineat oportet, & renovet jugiter, ſe nihil admiſſurum unquam, quod Deo ſuo offenſam prębeat; cum mente quidem nihil quicquam ſe cogitaturum mali; cum voluntate, ſe malo nulli aſſenſurum unquam: cum ſenſibus ſe nihil uſpiam mali animo

mo intromissuros; breviter, omnes & animæ potentiæ, & partes corporis, districtissimæ obedientiæ legibus unà coercendæ sunt.

Quòd si demùm post vigilantissimâ cordis, viarumq; nostrarum custodiam, obrigerit aliquando, nos, sive tentationis impetu, sive impotenti quadam naturæ nostræ perfidiâ in peccatum abreptum iri; sequetur illicò irrequietum studium, conatusque, redintegrandæ sanctitatis, deique redipiscendi; neque unquam acquiescet animus, donec vera festinaq; pœnitent ia suavissimum divini favoris sensum recuperaverit; Frustra quidem sperabimus sic ambulare cum Deo ut parùm peccemus, resipiscentiæ nostræ fuerit, infecta quasi reddere quæ fecimus malè; offensasque nostras ita penitus abolere,

ut

ut non omnino fuiſſe videantur.

Atque hæc ſancti hujuſce motus pars quaſi exterior eſt; eſt illi quiddam adhuc magis intrinſecum, quodque, animæ loco, praxin hanc totam quaſi actuat, movetque; illud vero eſt divina quædam animæ diſpoſitio, quæ efficit, ut primo in loco nos, noſtraſque actiones quaſlibet ad Deum ſincerè referamus; ad ſolam ipſius gloriam ſimplici ſemper oculo collimãnes; quòd ſi noſtra ſeu dignitas, ſeu utilitas, voluptaſve ſeſe aliquando interpoſuerit, operamque noſtram flagitaverit, per hæc tamen omnia, citráque, proſpiciamus finem illum ſupremum, cui iſta meritò ſubordinari geſtiunt. Secundò, ut dedamus nos totos Deo, noſtraque univerſa, ad ipſius ſolius arbitrium ſeu ſtare, ſeu cadere paratiſſimi; ſuſque deque habentes

humanum

humanum diem; donec præstitutum mutationi nostræ tempus advenerit, patienter, fideliterq; expectantes; Tertiò, ut pleniorem Dei fruitionem, perfectioremque cum ipso conjunctionem vehementer usque sitiamus; neq; vero possibile est, ut quis semel gustaverit quàm suavis sit dominus, quin & flagrantissimo insuper proprioris cum ipso unitionis desiderio teneatur.

Atque hæc quidem summa sit eorum, in quibus consistit omnis nostra cum Deo ambulatio; præsentiæ, nimirum, familiaritatis, motus; restat adhuc modus, ratioq; sancti hujus itineris peragendi; requiritur nempè (nisi frustra pedes movere velle videamur) ut cum Deo nostro, *Unicè, rectâ, alacriter, constanterque ambulemus.*

Unicè imprimis, socium admittentes præterea neminem;

Ingerit

Ingerit ſe quidem mundus ſatis importunè, comitatuſque iſtius honorem ambitiosè efflagitat; Nequit verò tolerare hoc Deus; Licet quidem illi bona cum Dei venia, nos, uti a tergo ſequatur, pro more ſervi; nobiſcum ut ſodalis inſtar obambulet, parùm licebit unquam; Fatuitas noſtra fortaſſe non inutile judicaverit utrunque ſibi comitem adjungere, & Deum, & ſeculum; dedignatur vero hoc meritò Deus; cui odio eſt mundi hujuſce malignitas univerſa: Boni autem ſiquid mundo forſan ineſt, licebit nobis illo ſic uti, ut non fruamur, imò ſic uti, quaſi non utamur interim: Audite igitur quicunque ſeculi hujus ſive clientes, ſive comites indivulſi, & eſſe & vocari mavultis, reclamaſtis interea Deo; qui Mammonis ſocietatem æquè faſtidiosè reſpuit, ac veſtram:

Recta;

Rectà; non pede claudicantes, non errantes de via; Etenim, si æquos cum Deo passus metiri possemus, miserè interea claudicantes (quod tamen prorsus impossibile est) ejusmodi certè comitatus ignominiam Deus jure bono abominatur; Indignabunda erat illa olim Eliæ cum Israelitis
1 Reg. 18. 21. expostulatio; usquequò claudicatis vos in cogitationes duas? Absque honesta probi cordis sinceritate frustra quis cum Deo ambulare speraverit.

Neque vero cum ipso ambulare possimus, nisi & semitæ nostræ non minùs rectæ sint, quàm pedes: Nullam sanè nisi rectam viam incedere potest Deus; nos si devia sectari malumus, ambulamus soli: Omnes quidem justitiæ calles recta quadam linea tendunt ad cœlum, ubi peccatorum semitæ curvæ sunt & anfractuosæ;

&tuosæ; perque mille cæcos viarum meandros, ad mortis usq; cubicula tandem deducunt; utriusq; profecto viæ ita sibi prorsus adversæ nunquam convenire, nedum intersecare poterunt.

Non potest non fieri, quin ut optimi cujusq; pedes dilabantur aliquando, declinentque tantillum a sacro hoc tramite; qui tamen illicò recolligit sese, priorem que stationem recuperat, & sanctâ quadam indignatione percitus, ex hoc lapsu melioresc it; quòd si quis sit, cujus vestigia continuo incessu callem sibi, in noto quovis peccato triverint, perduraverintque, is se cum diabolo humani generis hoste ambulare noverit.

Alacriter; neque vero expedit ut tristi quis corde, ac vultu ambulet cum omnis consolationis Deo; quasi ægra quadam angariatione

gariatione impulsus; neque potest fieri, ut ejusmodi comitis præsentia non animos nobis indat, addat, excitet; Illud est quod sæpe jubet Apostolus, πάντοτε χαίρειν, In Domino lætari semper; & certè, si quis rem æquè perpenderit, ecquis mortalium est, cui par lætitiæ causa possit oboriri, ac verè Christiano; qui Deum sibi cernit comitem, viam salutarem, finem glorioſum? cui Pater Deus, redemptor Christus, consolator Spiritus, ministri Angeli, mundus mancipium, cœlum patrimonium? cui hostes benefici sunt, mala medicinę, mors denique lucrum? Sunt quædam animi dispositiones, pro variâ etiam humorum temperie, aliis hebetiores, naturalique cuidam mæstitiæ magis obnoxiæ; sed & istæ, ubi valere cœperit gratia, Deo leniter saltem arrideant oportet,

quantum-

quantumlibet ſe triſtes, torvaſq; habuerint ſeculo; Eleva ſuper nos inquit Pſaltes, ô Domine, lucem vultus tui; Dediſti mihi inde plus gaudii, quàm illis a tempore frumenti, vinique multiplicati obtigerit: En meſſis, en vindemia cujuſque fidelis, ſolatium illud certiſſimum quod a divini favoris lumine exoriri ſolet.

Conſtanter denique; neque enim intermitti debet ambulatio hæc, ſed ita indeſinenter continuari, ut a virtute in virtutem uſq; procedamus, donec tandem corā Deo in cœleſti Sione fœliciter comparuerimus: odit nempè Deus matutinos quoſque rores pietatis; illaque nimis violenta devotionis initia, quæ furioſi cujuſdam zeli œſtro perciti fecerunt quidam, ſtatim poſtmodò deſituri; Non eſt aut Saulus, aut Herodes, aut Judas quiſpiam,

quin cũ Deo, aliquot saltẽ passibus ambulaverit, perdideritque operam; Perpetuus quidam sanctorum affectuum ardor ille est, qui aut Deo gratus, aut nobis esse potest salutaris; Oculi mei ad Dominum semper, inquit propheta regius; semper, absque diversione, absque intermissione ulla; quòd si intervenerit fortè tentatio aliqua; beatificiq; hujus objecti adspectum pro tempore interceperit; eclipsis tamen illa non ita vel universalis est, ut totam Dei faciem a nobis prorsus abscondat, vel ita obscura, ut toto nos privet ipsius lumine, vel, ita demùm diuturna, ut causam nobis ullam præbeat, de præsentaneo luminis pristini reditu quicquam dubitandi: Etiam dum nictare solemus, cernimus tamen; neque dum vel somno distringimur, vel phantasmate aliquo

Psal. 25. 15.

quo illudimur, virtutis ullius titulum depoſuimus. Vidimus zelotas quoſdam præcociores, qui adeò animosè, ſtrenuéque quadamtenus ambulaverint, ac cæteros omnes in hoc ſtadio facilè præcurſuri, quorum affectus, ubi tempore ac tentatione paululum deferbuerint, remiſerunt illi ſtatim hunc impetum; & languida poſt ſe cruraægerrimè trahentes, ſociis longè a tergo fuerunt derelicti: Paulina quidem virgulâ excitandi ſunt hi ſcilicet; Cucurriſtis bene, quis impediit? Rarò admodum conſtans ac durabilis eſt nimia ſtudii cujuſvis vehementia; quinimmo in pigrâ quadam tarditate, ac ignominioſa laſſitudine vulgo deſinit; Ut indefeſſa nobis ſemper eſt Dei benigniras, ita noſtra qualiſcunque bonitas fallit plane, niſi fatigari neſciat.

Sic nunc ſe habet noſtra cum Deo ambulatio, cùm quoad rem, tùm quoad modum. Quippini modò putem ſolam divinæ hujuſce converſationis mentionem lectoris cujuſque pectus accendiſſe fervido quodam deſiderio, & tam ſacræ provinciæ obeundæ, & acquirendæ tam certæ fœlicitatis? Certè formæ hujus ſive precium ſive elegantia nemine indiget parario, aut licitatore, ipſa una ſufficit attrahendis omnium oculis, omnium pectoribus inflammandis; Quoniam tamen (Quod ſuis olim Diſcipulis Chriſtus) πνεῦμα πρόθυμον, σὰρξ ἀσθενής non abs re quidem fuerit paucula quædam illicii loco, adtexere, quibus ad cœleſtem hanc vitæ inſtituendæ rationem excitemur. Illud vero inprimis ſeriò penſitemus, ambulationem hanc cum Deo (præter intrinſecam ipſi virtutem,

tutem, bonitatemqne, quæ exacuendis quibusq; affectibus abundè sufficit) maximo nobis honori esse.

Etiam inter principum famulos assectasve numerari non mediocris esse dignitatis arbitramur; familiari autem modo cum magnatum quopiam incedere, eximium quiddam videtur, dignumq; elatiore supercilio. Quantum igitur, quàmque supra modum honorificum fuerit, cum magno terræ, ac cœli Rege, ac domino, sociali quodam consortio jugiter ambulare? Privilegio quidem illud non vulgari erat duodecim Apostolis, selectos fuisse e reliquo orbe, Christi domesticos, qui ipsum in humili hac, serviliq; condicione, quâquâ in terris iret, usq; sectarentur: Majus tamen quiddam illud erat, *Petro*, *Iacobo*, *Ioanni*, e consociorum reliquis

evocari, qui cum Domino ſuo montem Taborem conſcenderent, divinæ ipſius transfigurationis teſtes, ſed & hortum Gethſemani cum ipſo demum ingrederentur, triſtiſſimæ etiam agoniæ teſtes inſuper futuri; non hoc quidem indultum cæteris; Oh quàm ſortem omnem humanam longe exuperans prærogativa nobis obtingit, qui, e mundo, potentiſſimâ Dei gratia eximimur, ut omnipotentem & glorioſſimum cœli creatorem, ac dominum ſemper comitemur: Quod illis centum quadraginta quatuor millibus ſanctorum, redemptorum a terra, deiq; nomine inſcriptorum, ſummæ præeminentiæ loco conceſſum eſt, ſequi agnum, quacunque demum proficiſceretur, noſtrum plane eſt, ni nobis ipſi defuerimus; nempe nos cum Agno Dei, Jeſu Chriſto;

Chriſto; cum patre ipſius coæterno, cum Spiritu ejus ſanctiſſimo indeſinenter ambulamus; Quid nos nunc cum beſtiis verſari malumus, homines miſelli, quibus optio liberrimè facta eſt ambulandi cum Deo?

Neque vero plus eſt in ambulatione iſta honoris, quàm ſolatii; Triſtis res eſt ſolitudo: Væ ſoli, inquit concionator maximus; eſt tamen, ubi & ſocietas (qui nobis obvenire poſſunt comites) diſpliceat magis; In ſodalem incidiſſe honeſtum, alacrem, diſertum, non minimi beneficii loco haberi ſolet; conrahit hic talis, nobis viam, laboremque minuit; Quàm ergo jucundum nobis fuerit cum illo ſemper verſari, cui titulus eſt conſolator? Certè, niſi foret ipſi inexhauſta conſolationis certiſſimæ copia; niſi nulla præterquam ab ipſo dimanare

posset vera consolatio, parùm illi competere posset is, quem sibi soli meritissimò vendicat, stylus paracleti: Etiam illa qualiacunque solamina, quæ vel a naturali ratiocinatione, vel a resolutione quadam morali oriuntur, non alia sunt, quàm communes quædam consolatorii hujusce spiritus influxus; sine cujus inoperatione, pectus nullum solido quidem gaudio ullo incalescere potest. Qui cum seculo ambulat, quam miseras sibi affingit vanæ consolationis rationes? Plaudit hic sibi domi, dicitque apud se: Attamen robustum mihi corpus est, firma valetudo; Alter, illæsa mihi fama est, & non vulgaris inter meos existimatio. Alius, est mihi magnus quidam in aula amicus, ac patronus; Alius denique, sat mihi domi nummorum est; At, at, ubi atra calamitatis dies advenerit

rit, quid tandem fit hiſce omnibus? Miſerrimi conſolatores eſtis vos omnes, inquiet prægravata dolore anima; cogeturque demùm (ſero forte nimis) fateri, nullum, verum quidem ſolatium, niſi a miſerationum omnium patre, conſolationiſque omnis Deo poſſe unquam ſperari; quicum ubi ambulare didicerimus, hilares canemus cum regio paſtore Iſraelis; Dominus mihi paſtor, nullius rei indigebo; In florentibus paſcuis accubare me faciet, perque aquas quietas ducet. Pſal. 23. 1, 2.

Neque plus honoris ſolatiique ambulationi huic ineſt quàm certi etiam tutaminis: Quanta, quàmq; ſecura eſt ejuſmodi comitis protectio? Quiſquis in ſecreto Altiſſimi habitaverit, ſub umbrâ Omnipotentis commorabitur; Quicunque es qui cum Deo ambulas, diciſque Domino, Pſal. 91. 1, 2, 3.

Spes mea, mea munitio; liberabit
ille te a laqueo venatoris, a peſte
contritionum; Alis ſuis obum-
4. brabit te, & ſub pennis ejus ſpe-
rabis; Veritas ejus ſcutum tibi
erit & clypeus. Haud immunis
eſt a periculo qui ſquis ſolus pro-
ficiſcitur; Ubi in foveam ceci-
derit jacet impotens; ubi incide-
rit in latronem, vulneratus ſpo-
liatur, comitem nactus, e puteo
eripitur, a prædone liberatur;
non poſſumus certè non cadere
ſicubi non ambulamus cum Deo;
neque quiſquam eſt qui jacentes
erigere poſſit, non poſſumus ab
inferno illo graſſatore ſpoliari,
ſauciarique, ſicubi cum Deo pa-
rùm ambulamus; nec quis eſt qui
nos poſſit tutos conſervare. Quòd
ſi cum Deo ambulaverimus, aut
non cademus quidem, aut non ja-
cebimus; eriget ille nos e peccа-
ti fovea, e pulvere mortis: Si

vero

vero Deus nobiscum, quis contra nos? Ringantur tyranni, fremat mundus, frendat Orcus, rugiat Diabolus, nos sub tali comite, in tuto sumus. Cumque illo qui ursum, leonem, Goliam straverat, cantabimus, Non timebo a decem millibus qui circumquaq; ambierunt me. Psal. 3. 7.

Neque plus denique tutelæ istinc oboritur quam utilitatis; Ecquod enim boni poterit benignissimus ille Deus, quîcum ambulamus, nobis denegare? Nunquid cupis divitias? Domini est terra, & plenitudo ejus. Repones aurum ut pulverem, aurum Ophir instar petræ torrentium. Honorem mavis? Honorantes me honorabo, inquit Deus; vis utrunque; Divitiis & honore saturabo te; Quicquid lubet vis denique? Voluntatem timentium se faciet: Quid vero deesse Job. 22. 24. Psal. 145. 19.

potest;

poteſt illi, cui ſuppetit poſſeſſor omnium Deus? Ego ſum merces tua magna valde, inquit Deus Abrahæ; Ecce qui ἀυτάρκης eſt ipſe ſuis merces, aliam tamen a ſe mercedem adhuc pollicetur:
Pſ. 91. 16. Longitudine dierum ſaturabo eum, & oſtendam ei ſalutem meam; En modò fœliciſſima deſideriorum omnium periodus; Quanti foret longitudo dierum in hac valle lachrymarum, abſque ſalute deinceps ſecutura? Scilicet, ambulemus cum Deo in terris, non poſſumus ab ipſo in cœlis ſeparari; ambulemus cum illo iſtîc per juſtitiæ, innocentiæque ſemitas, ambulabimus cum ipſo olim ἐν λευκοῖς ſupercœleſtis gloriæ: Cogita jam ſeriò quiſquis iſta legis, quàm & tutum, & jucundum, & utile demùm animæ tuæ fuerit, ubi decubueris jam modo morituru, neſcius an proximum

proximum quemque ſpiritum ultimò exhalaturus ſis, vitam reſpicere præteritam, idque tibi conſcire, ambulaſſe te pridem cum Deo illo, qui te nunc proximiore quodam modo ſecum verſaturum ad ſe vocat; Non mirum profecto eſt, ſi alieni quique ac peregrini de receptione ſua haud parùm dubitent; tua vero familiaritas prior confidere te nunc jubet, nihilque expectare aliud, niſi gratiæ perfectionem, æternitatem gloriæ.

Recolligamus iſta modò ſummatim: Sanè illectamenta hæc etiam ſingula, valere apud nos plurimùm ſolent; Certè ea, quibus aliquid honoris indipiſci ſperamus, quanquam nihil quicquam ſolatii, tutaminis, beneficii polliceantur interim, audaciore animo aggredimur; quot ſe indies bello parum juſto, illicitiſque

prorſus

prorſus monomachiis falſo honoris prętextu ingerunt periculoſiſſimè, vixque cum ſanguinis, membrorumque diſpendio abſcedunt denique? Rurſus, quæ voluptatem nobis, delectationemque afferre poſſe putamus, quātovis interim cum dedecore, periculo, damno conjuncta, quàm avidè, audacterq; ſuſcipimus? quot ubique ſunt qui libidinis ſuæ pœnas miſerrimè luerunt? ſunt & alii qui tūtas incedere vias mavelint, etiam ubi nihil honoris, jucunditatis, beneficii ſenſerint, ſperaverintve. Plures tamen utilia quæq; proſequuntur, quantumlibet dedecoroſa, injucunda, intuta: Jam vero ubi omnia hæc unanimiter conſpirarint, ambulantem cum Deo, ſummè, æternùmque beatura; qualem nobis vim inferre debent univerſa, ut a beſtiis, hominibuſque tandem

abrepti,

abrepti, cum Deo vivo ambulare incipiamus? Ita nobis ergo maximus qui in hominem cadere poteſt, obtingat honor; ita, ſumma, cujus anima capax eſt, delectatio; Ita a malis omnibus immunes, bonorum omnium præſentium, futurorumque participes eſſe velimus, demus operam ſedulò, ut cum Deo ambulemus; ſicque inſtituamus animum, ut & ritè ipſum apprehendamus, & perpetuò agnoſcamus præſentem, non ſine ſancto tremore, ſolicitoque divinæ approbationis ſtudio; Ipſum nobis vera fide appropriemus; cum ipſo colloquamur aſſiduè; ipſum in dubiis quibuſque conſulamus, in neceſſariis exoremus; in ipſius providentiam ſecuri recumbamus, beneficia ipſius grato recolamus animo, in bonis omnibus ipſo fruamur uno: Exerceamus piam

quan-

quandam ſanctę obedientiæ praxin, cum in ſacris quibuſque, cultum ejus immediatè ſpectantibus, officiis, tum in vocationis noſtræ muniis obeundis; Quicquid ei diſplicere quoviſmodo poſſit, ſtudiosè declinantes; feſtinâq; reſipiſcentiâ ſubinde recuperantes, quem peccando merueramus perdidiſſe: Ad ipſius gloriam, nos, noſtraſque actiones ſincerè referamus: Dedamus nos ipſi, noſtraque omnia, ſive cenſuræ ergo, ſive diſpoſitionis liberrimæ, Pleniorem ipſius fruitionem expetiſſere nunquam deſinamus; ſed & cum ipſo ambulemus ſolo, mundi conſortium rejicientes faſtidioſiùs; Progrediamur cum ipſo, pede recto, recta via; Alacriter denique, conſtanter, perſeveranterque cum ſalutis noſtræ deo ambulemus; Ita motus iſte Enochi fœliciter nos aliquando

lo pérducet ad Henochi requi-
m, gloriam nempe ſempiter-
am. *Amen.*

FINIS.

Errata	*ſic corrige.*	*pag.*	*lin.*
Commenſurari	Commenſurare.	17	27
Malus	Me malus.	25	11
Beneficium	Beneficum.	31	24
Ac	Ab	39	14
Accipere	Excipere.	43	4
Lenti	Silenti.	48	6
Omnes	Omnis.	53	6
Ei *redundat*		57	13
Degenerat	Degeneret.	69	13

In Henochiſmo.

Spoliari	Non ſpoliari.	50	17
Que *redundat*		26	5